ASTERII MANLII PARMENSIS.

IN A. PERSII FLACCI Satyram Primam Commentarius, & Notæ in secundam.

Cum duplici indice, altero Auctorum, altero verborum.







PARMÆ,

Ex officina Antæi Viothi. M. DC. X[illegible] 26

Superiorum permissu.



ILLVSTRIBVS. QVADRAGINTA. VIRIS
IN. CASALE. MAIORI. CLARO.
ET. NOBILI. MVNICIPIO.
PVBLICI. CONSILII. MODE-
RATORIBVS.
PRVDENTIA. INTEGRITATE. INNO-
CENTIA. PRAESTANTISSIMIS.
AC. DE. SE. VALDE. BENEMERITIS.
ASTERIVS. MANLIVS. TRIGINTA.
IPSOS. ANNOS. IN. EODEM.
MVNICIPIO.
IVVENTVTEM. HIS. ARTIBVS.
INFORMANS.
QVÆ. AD HVMANITATEM.
PERTINENT.
VT. SVÆ. IN. EOS. OBSERVANTIÆ.
POSTERITATI.
MEMORIAM. PRODERET. LIBENS.
AC. MERITO. DONAT.
DEDICATQ.



AD EOSDEM ILLVSTRES QVADRAGINTA VIROS.


PLurima sunt in me promerita vestra Illustres viri & ipsa magnitudine eximia; quasi coner scribendo exponere, amens sim, & tenuitatis orationis meæ nimiũ audax æstimator. Vagatur quidem per ea non rarò summa cum voluptate animus meus, & eorum recordatione iucundissimè exultat. Sed quoties ea verbis explicare aggredior, toties mens hæsitat, balbutit lingua, hæret calamus, mutus deniq; & elinguis fio. Quid igitur est? faciam quod me res cogit, obrutum me iis fatebor, & omni spe destitutũ, posse vnquam ne minima quidem eorum particulare ipsa respondere. animo quidẽ certe respondebo. et cum ingenui sit viri beneficia libẽter agnoscere, & agnoscendo prædicare, quamdiu hanc vitam egero, omnis mea ratio, et cogitatio nihil aliud erit nisi constans: & perpetua vestrorum, quibus me complexi estis beneficiorum commemoratio. Interim summum illum rerum omnium conditorem D.O.M. oro, vtinam exorem, vt quamdiutissimè incolumes, fausti, & fælices sitis. vestrumq; hoc antiquissimum, & Illustre Municipium vt poeticè dicam.

Florescat sæclis innumerabilibus.

Valete illustres viri, & Asterium nexu & mancipio vestrum, si æquum postulat, diligite CIↃ IↃCXXI. Cal. Ian.

A. PER-

A. PERSII FLACCI VITA.



VLVS Persius natus est Volaterris in Etruria, prid. Non. Decembris, vt auctor est Probus, Fabio Porcio, & L. Vitellio Coss. qui fuit annus ab Vrbe condita ƆƆCCXXCVII. Imperij Tiberij XX. à passione Saluatoris primus. Patrem habuit Flaccum, Matrem verò Fuluiã Sisenam. In puerili ætate Volaterris eruditus fuit, postea sumpta virili toga, Romam se contulit; vbi Remum Palemonem in Grammatica, in Rhet. verò Virginium Flauium Præceptores habuit: & vt erat solerti ingenio, plurimum sub vtroq; profecit. Tum, à Cornuto Stoico Philosopho in amicitiam receptus est, ab eoque Stoicis præceptis accurate informatus, quod apertissime ostendit Satyra V. his verbis.

Cum primum pauido custos mihi Purpura cessit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit,
Me tibi supposui, teneros tu suscipis annos
Socratico Cornute sinu.—— —— & iterum
—— ——*tibi nunc hortante Camęna*
Excutienda damus præcordia, quantaq; nostræ
Pars tua sit Cornute animæ, tibi dulcis amice
Ostendisse iuuat.—— —— —— ——

Persio æqualis fuit, & eiusdem Cornuti auditor Annęus Lucanus, Ciuilis belli scriptor, cuiusq; scripta tãtopere admirabatur, vt ea vere esse poemata diceret. Familiariter vsus est Plotio Macrino, cui secundam, & Cæsio Basso poeta lyrico, cui sextam Satyram inscripsit. Adhuc adolescens studium adhibuit Satyris Lucilij, quibus adeò delectatus fuit, vt ingenium suum ad idem genus scripti appuleit. Vitia tanto odio prosequabatur, vt, ne à Nerone quidem viuo, & imperante Satyrici stili aciẽ abstinuerit, præsertim Satyra prima, vt suis locis ostendam. Mortuus est vitio stomachi, cum nondum complesset vndetrigesimum ętatis sue annum, Imperio Neronis nono, Octauo Cal. Decemb. Rubrio Mario, & Asinio Gallo Coss.

Matri, & Sorori reliquit H S vicies, rogauitq; Matrem, vt Cornuto daret sestertia centum, vel vt quidam dicunt argenti facti pondo viginti. Porro vicies sestertium si Budei æstimationi credendum, summam efficiunt aureorum, vt dicitur solatorũ quinquaginta millium; ad æstimationẽ verò Manutij, sexaginta. Sestertia verò centum. Budeo sunt bis mille quingenti aurei. Man. ter mille.

Persiæ gentis vetustas ex eo apparet, quod C. Persij impigri viri meminit *Liuius lib. VI. Dec. III.* qui aduersus Tarentinos strenuam militarem operam nauauit, Anno ab V. C. ƆƆXXLVI. Alterius etiam Persij mentionẽ facit *Cic. II. de Oratore his verbis.* Nã vt C. Lucilius homo doctus, & perurbanus dicere solebat, ea quę scriberet, neq; ab indoctissimis, neq; à doctissimis legi velle, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse quam ipse de se, quò etiam scripsit Persium non curo legere. hic enim fuit, vt noramus omniũ ferè nostrũ hominũ doctissimus,

Scri-

Scriptorum index, & quorum opinionem interdum refello, & quorum auctoritate quæ scripsi confirmo.

Fa-

F

Fabius Quintil.
Fabius de pond.& mens.
Fauorinus.
Festus.
Floridus Sabinus.
Franciscus Petrarca.
Franciscus Marius Grapaldus.
Franciscus Piccolomineus.
Fulgentius.

G

Gabriel Faloppius.
Gabriel Simeonius.
Galenus de vsu partium.
Georgius Anselmus.
Germanus Valens.
Guilielmus Budeus.
Guilielmus Filādrus in Vitruuiū.

H

Hieronymus Osorius.
Hieronymus Magius.
Hieronymus Mercurialis.
Hippocrates.
Heliardus Lubinus.
Horatius.

I

Iacobus Cruquius.
Iacobus Bononien.
Ioannes Bapt. Plautius.
Ioannes Stobeus.
Ioannes Murmelius.
Ioannes Rauisius Text.
Ioannes Boccatius.
Ioannes Picus Mirand.
Ioannes Boemus.
Ioannes Tornarupeius.
Ioannes Britanicus.
Ioannes Vulteius.
Iosephus Scaliger.
Interpras Part. Oratoriar.
Isaacus Casaubonus.
Iuuenalis.
Iulius Fronto.
Iulius Caesar Scaliger.
Iustus Lipsius.

L

Lactantius Firmianus.
Laertius.
Lazarus Baiffus.
Linacer.
Liuius.
Lucretius.
Lucanus.
Lucianus.
Ludouicus Viues.

M

Macrobius.
M. Portius Cato.
Marcus Antonius Muretus.
Martialis.
M. Varro.
Marsilius Ficinus.
Martianus.
Murmelius.
Musonius.

N

Nebrisensis.
Nonius.

O

Ouidius.

Pau-

P

Paulus Manutius.
Paulus Aegineta.
Panegyricus ad Calpura.
Petrus Andreas Mathiolus.
Petrus Victorius.
Petronius.
Philippus Rubenius.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Pontanus.
Priscianus.
Propertius.
Plutarchus.

R

Rodulphus Agricola.

S

Scriptor Adagiorum.
Scriptor vita Homeri.
Seneca.
C. Sempronius.
Seruius.
Sebastianus Corradus.
Sophocles.
Solinus.
Sosipater Charisius.
Statius.
Stroza filius.
Strabo.
Suetonius.
Sylius Italicus.

T

Terentius.
Theodorus Marcillius.
Theognis.
Thomas Proccatius.
Tragadia Seneca.
Tranquillus Molossus.

V

Velleius Paterculus.
Vegetius.
Virgilius.
Vitruuius.



AVLI-

AVLI PERSII FLACCI SATYRARVM

PROLOGVS.



EC fonte labra prolui Caballino;
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, vt repente sic poeta prodirem.
Heliconidas, pallidamq; Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces: ipse semipaganus
A sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expediuit psitaco suum Chære,
Picasq; docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingeniq; largitor
Venter. negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Coruos Poetas & poetridas picas
Cantare credas pegaseium melos.



VARVM rerum studio capiuntur Principes, ad earum consuetudinem plerosq; deduci, animumq; appellere, & docuit *Plato IV. de Rep.* & plena est exemplorum omnis Aetas: Semper.n. habitum fuit primũ Aulicademię axioma, ad eos mores vergere, in quos pronus est Princeps;

eosq; etiam si dissoluti sint pro lege habere; immo in Principem obsequium, illumq; æmulandi studium, omni lege est validius; quidquid.n. facit, populis præcipere videtur. Vere igitur dixit Theodosius rex Gothorum, facilius esse errare naturam, quam dissimilem sui Princeps possit Remp. formare. Quid mirum igitur, si, cum Nero molli, & efœminato carmine delectaretur, magnũ repente extitisse Romæ prouentum poëtarum portenti illius, cui placere studebãt similium? Morbus.n. qui in Imperio à capite dimanat similis est lento veneno dulciarijs admixto, qui prius vitam eripit, quam mortifera eius vis reprimi possit. neq; tantum, ait *Cic. III. de Legibus* mali est peccare Princepes, quantum illud, quod permulti etiam imitatores Principum existunt: & paucis interiectis, Perniciosius de Rep. merentur vitiosi principes quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem, neq; solum obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, plusq; exemplo quam peccato nocent. Sed redeo ad eos qui Neronis hilarem insaniam insaniebant; quorum duplex erat genus, alterum procerum, alterum minus florentis fortunæ Quiritium; proceres musarum alumnos agebãt, magna omnia de se prædicabant, toti deniq; ab ambitione pendebant; atq; istos designat primis sex carminibus. Quirites minutiores, fame, vel auaritia stimulante, diuitibus, scriptis suis blandiebantur, eorumq; vel ineptissimas nugas summis laudibus efferebant; sicundè possent sportulam, diarium, aut cænulam saltem extorquere: Picas, Psitacos, coruosq; imitantes, qui vt cibo saturentur, humanas voces discunt, herosq; suos salutant: hos Ironice

notat,

notat, cum ipse de se videtur dicere; Quis expediuit ad finem vsq; prologi, dico prologi, quia sicut proemium est principium orationis oratoriæ, sic poematis prologus, & proaulium tibicinis *Arist. III. Rhet.* in tanta igitur frequentia vel corruptela potius poëtarum, cæpit etiam Persius consilium aliquid scribendi. quod modestissime proponit, simulq; scriptionis suæ finem latenter tangit ibi:

——— *ego semipaganus*
Ad sacra vatum carmen affero nostrum

nam, quod se semipaganum, idest rudem, & inchoatum poetam vocat, nec adhuc in castris poetarum receptum: Ex eo vult intelligi, non vnum ex illis esse, qui vana ambitione tumētes os proluisse fonte Caballino; aut in Parnasso somniasse iactabant, & proinde nihil de coronata imagine meditari. reliquis autem verbis —— carmen affero nostrū, quo consilio scribat occulte innuit, carmen inquit, nempe non adulatorij dedecoris (vt ait Tacitus) plenum, ventris explendi, vel a diuitibus Lucelli aliquid faciendi causa: Sed satyricum, quo perditis moribus bellum indicam, auribus. n. vult innuere non scribere, quod de Fabiano dixit Seneca, sed animis. Extat quædam epistola ad Ioann. Murmelium, in qua scriptum est, Iambicum hoc proludium, ad primam tantum Satyram pertinere, nec ad reliquas, idq; hac ratione probatur, quod in ea præcipue damnat Persius in nobilibus leuitatem materiæ in scribendo, & illiberalitatem erga doctos quosq;, quæ duo putat scriptor ille proponi in hoc prologo, & quasi classico (sic. n. ait) indici. Primum primis sex carminibus, alterum ibi Quis expediuit ad finem vsq;

De primo non magnopere repugnauerim. Quod ad secundum attinet, pernego verbum vllum fieri tota prima satyra in sordes diuitum erga scriptores; per quod manifestò apparet doctum illum virum inanem operam sumpsisse; videriq; magis verisimile integro operi, non vni tantum particulæ hunc prologum præfixum fuisse. Quem Satyræ coniungendum asserere quid absurdius? quod nescio an cum quibusdam alijs censuerit Anton: Lullus, qui libro sep. de satyra loquens hæc scripsit. Apud nos Persius cum Iambico cœpisset eo relicto in Hexametron recidit. De Scazonte, vel Coliambo, quo genere carminis constat hic prologus, præter alios multa *Angel. Polit. Miscel. Cap. LXIV.* *& Iulius Cæs. Scalig. Lib. II. Cap. IX. & XXXIV. poet.* Opera abutetur quicunq; Persium aliud agens, & oscitanter legerit; affectat. n. obscuritatem; quod illi tamquam vitium obijciunt multi, & præsertim *Iulius Cæsar Scalig. vir doctissimus Lib. IV. Poet. Cap. XCIIX.* his verbis. Principio est edicendum, ne, quod facit Persius, abstrusam ostentes eruditionem. & Hypercritico. Persij vero stilus, & ille ineptus, qui, cũ legi vellet quæ scripsisset; intelligi noluit quæ legerentur. Et Paullopost. Persius ostentator febriculosæ eruditionis cætera neglexit, contra cuius viri censuram, quem non sine admiratione, nec nimis valde vmquam, nec nimis sæpe (vt de Platone dixit Atticus) laudauerunt viri docti, nihil prorsus auderem mutire nisi grauissima antiquorum auctoritas aliud mihi suaderet. Obscuritatem. n. quam de industria sectamur. (hoc autem Persium facere nemo non videt, & idem ille seuerus censor fatetur) carere reprehen-

sione

sione docet *Cic. II. De finib. his verbis.* Epicurus ita loquitur, vt non intelligatur quod sine reprehensione fieri potest, si de industria facias, vt Heraclitus cognomento scotinos. & primo de nat. Deorum Nec tu consulto dicis occulte tamquam Heraclitus. cuius obscuritatis exemplum refert *Arist. lib. III. Rhet.* de quo etiam seneca *Epist. XII. hæc scripsit.* Ideo Heraclitus cui cognomē Scotinon fecit orationis obscuritas, pro quo intelligendo opus est Delio natatore vt ne quis in eo præfocaretur dicebat Socrates. quē de eius scriptis dixisse ait Laert. Quæ intellexi proba sunt, puto etiam quod non intellexi; & quoniam qui dicit quæ non intelliguntur, nulla voluptate potest intimos sensus afficere, ideo idem Laertius, ad finem vitæ Biantis, eundem Heraclitum insuauem vocat, quod nimirum quæ præcepta à Rhetorib. dantur de suaui oratione prorsus contempserit. Dicteria sententiosa Scotinis inuolucris sensuum implicata dixit *Budeus lib. IV. de Asse.* quæ cum ita sint, non certe obscurior est Persius quam fuit Heraclitus, qui tamen iudice Cic. carere debuit reprehensione, quia sicut Persius de industria fuit talis; cuius nomini, Heracliti inquam, tantū abest, vt obscuritas offuderit tenebras, vt per eam, claritatem ipsam sit consecutus de illo.n. sic *Lucret. lib. I.*

Heraclitus init, quorum dux prælia primus
Clarus ob obscuram linguam ————

Vetus etiam interpres Part. Cic. vbi agitur de oratione obscura, ex quo (ait) facile cognoscas obscurum genus traditum potius ad vitandum, quam ad insequendum; nisi forte locus obscuritati aliqua ratione quęreretur, vt cum

mores

mores hominum occultius insectamur; aut tenebras vltro offundimus vsi contecto dicendi genere. Adde quod quæ paullo sunt obscuriora, lectorum animos attentiores detinent; & propterea nescio quid maioris habent voluptatis cum sunt percepta, si qua sint maxime, quæ eruditionem, & ingenij acumen aliquod præseferant, qualia pleraq; omnia in hoc poëta. *Quintil. lib. IIX. Cap. II.* loquens de oratione obscura; Sed auditoribus (inquit) etiam nonnullis gratiora sunt hæc, quæ cum intellexerint acumine suo delectantur, & gaudent, nō quasi audiuerint, sed quasi inuenerint. & certè cariora sunt nobis, quæ cum difficultate acquirimus, accuratiusq; seruamus. Etenim scitum illud vetus. Quæ cito placent: non diu placent. & quod à Platone in Hippia maiore, & Cratylo, à Plutar. etiam loco prouerbij vsurpatur. Ardua quæ pulchra. Serio ad hūc locum pertinet totum *Cap. XII. lib. XIV. Geneal. Ioan. Bocc.* à quo nec aliena sunt, quæ scripsit *M. Ant. Muretus Cap. XVII. lib. VI. variar. lectionum.* His accedant scriptorum testimonia de huius Poëtæ præstantia. eius ingenium tantopere admiratus dicitur Lucanus, vt eo recitante vix se contineret quin clamaret ea sola vere esse poëmata. Quintil. Multum, & veræ gloriæ quamuis vno libro Persius meruit. D. Hieronymus Satyricum doctissimum, & disertissimum vocat. Floridus Sabinus Apolog. floruit post Horatium in hoc Poëmate. A. Persius volateranus cum tanta multorum admiratione, vt palmam ei de Satyra deferre non dubitauerit. Ant. Lullus vir vtiq; doctissimus.. Ergo nec lucem sectabitur Satyricus, vt faciunt Epopeij; nec amplitudinem vt Tragici;

nec

nec simplicitatem, vt Bucolici; nec delitias, & Venerem, vt Lyrici; sed tenui stilo accumen solum cum caliditate. hæc mens fuit Persij, omnium satyricorum mea sententia præstantissimi. Addamus etiam, & si non suo loco Martialem.

Sæpius in libro memoratur Persius vno
Quam leuis in tota Marsus Amazonide.

Cur igitur vni Scaligero visa est huius poetæ febriculosa eruditio quæ à tam multis, vt præclara commendatur?

FONTE CABALLINO.

Qui & Hippocrene, cuius fabulosa origo, notior est quã vt referatur. Vide quæ huc pertinentia scripsit *Fulgent. cap. I. lib. IV.* Solinus Cadmum (ait) equestri exploratione rimantem quænam loca adijsset, hunc, & Aganippe fontes reperijsse; tum inconsam fuisse poetarum licentiam, vt vulgarent, eos potos inspirationem facere literariam, & facundia animos irrigare. quam famam ex eo crediderim percrebuisse, quia Cadmus creditur fuisse repertor literarum græcarum, & circa hos fontes loci amœnitate captus tacitus ipse secum non raro meditabatur.

CABALLINO.

Non audiendus, qui Caballum non nisi pro feroci, & belligero vsurpari ait; sæpe enim dossuarium iumentum significat, nisi cum huius fontis fit mentio. Quare quod dicitur Persium maluisse Caballino, quam Equino dicere, quia verba humiliora Satyrę côueniunt, suumq; habeat hæc vox aculeum, placeret, si vspiam legissem mentionem fieri fontis Equini, nec etiam vbiq; Caballini. Calliope quidem apud

Mar-

Marcianum lib.II.de nuptijs. Philol.& Mercurij,nec in Satyra,nec Satyrice dixit.

Et fons gorgonei tulit Caballi. & Musonius.

Musæ non Helicone satæ,nec fonte Caballi.

& alibi sæpissime. nam quod dixit Philip. Ruben. Antuerpien.

Tamquam Duratei sinu Caballi.

Quis non videt licenter vsurpatum? Videndus Turneb.de Caballo segmario ex Isidoro.

PROLVI LABRA.

Hesiodum volunt intelligi, quem dicuntur Musæ ad hũc fontẽ repente donasse facultate poëtica, de quo sic *Lactantius de falsa Relig.cap.V.lib.I.* Non enim Musarum instinctu sicut videri volebat in Helicone carmẽ illud effudit, sed meditatus venerat,& paratus. de eodem hæc scripsit *Velleius lib.I.* Hesiodus fuit circa CXX.annos distinctus ab Homeri ætate; vir perelegantis ingenij, & mollissima dulcedine carminum memorabilis, otij quietisq; cupidiss.vt tempore tanto viro,ita operis auctoritate proximus. Quẽ inter principia literarum præcepta Agricolis tradidisse, ait *Plin. præmio lib.XIV.& Plinio prior M.Varro.lib.* (&) *cap.I.* Easdem inquit res etiam versibus scripserunt.vt Hesiodus Ascreus. Sic dictus ab Ascra vico in quo est natus. *Strabo lib.IX.* In tespis est Ascra iuxta Heliconis partem,hęc Hesiodi patria. *cum tamen lib.XIII.* non Ascram, sed Cumam patriam illi tribuat,vbi de Cuma loquens hæc ait. Vir sine controuersia clarus ex hac vrbe est Ephorus, & ante hunc etiam Hesiodus poeta.nam & ipsum aiunt affirmare patrem suum re-

licta Eolica Cumam nigrasse in Beotiam. Cuius migrationis causam fuisse æs alienum asserit Scriptor vitæ Homeri, is, qui vitis Plutarchi adsciscitur. Ex Strabonis loco, quem nuper protuli; puto venisse in mentem Probo exponenti illud Virg.

Vltima Cumæi venit iam temporis ætas.

Affirmare, de Hesiodo posse intelligi, cum omnino cõstet de Sybillæ carminibus intelligendum. Porro Musam quę præcipue Hesiodum afflasse creditur, scripsit *Ficinus in argumento dialogi de furore*, fuisse Terpsicoren, cui cœlum Iouis, vimq́; iudicandi de rebus inuentis attribuunt Platonici. Quod Hesiodo contigit, vt repente fieret poeta, Musarum inspiratione, idẽ contigisse Thynico Calcidiensi narrat Socrates in Ione. Is enim cum nihil antea dignum memoria scripsisset, in Apolinem hymnum composuit cantilenarum pulcherrimum, quem solo musarum afflatu inuenisse dixit, & Ioni ipsi eodem afflatu cõtingere dicebat Socrates idem, quòd in declarãdo Homero mira quædam semper promeret; cum in aliorum poëtarum lectione torpesceret. Euagen etiam pastorem quendam diuino numine repente comicum factum tradunt. huiusmodi vim intimam, & vt dicitur poëticum furorem *Statius lib. I.* Theb. laurigerum æstrum appellat.

Tempus erit, cum laurigero tua fortior æstro.
Facta canam.

Porro vt Musę Hesiodum poëtam fecerunt, viuentemq; mire dilexerunt, sic illi mortuo numen per Musas ipsas honorẽ exibuisse scribit Plutarchus in Numa. quem honorem idem

auctor non tacuit ad finem conuiuij narrante Solone. *Laertius in Pythagora* ait, Hieronymum (Rodium intellige) cuius meminit in Thalete, Pythagoram retulisse, apud inferos vidisse Hesiodi animam columnæ æreæ vinculis adstrictam, stridentemque, propter ea quę de Dijs finxerat. Sed de Hesiodo nimis fortasse multa.

LABRA.

Labra, & labia indistincte dici ait *Caris. lib. I.* Verrius autem Flacus distinguit. ait enim modica esse labra, immodica labia, & inde labiones dici; *Terentius in Eunuco; labijs demissis gemens.* Non aliter discriminat; & quod labra non de animatis tãtum dicuntur, sicut labia, sed interdum significãt margines; & quod labia neutri generis, & labias fœm. dixerunt antiqui, ab eo petenda exempla, quibus addatur illud ex Apul. de Asino: Ecce nasus integer; incolumes oculi; saluæ aures; illibatæ labiæ. quod vsurpauit etiam Georg. *Anselm. lib. I.* ad fenestram.

Morderem labias rubrumq; nectar
Infesta elicere subinde.——

Et Alciatus emblemate de silentio.

Ergo premat labias digitoq; silentia signet.

SOMNIASSE.

Vt de se dicebat Ennius; de quo somnio bis *Cic. II. Acad.* primus locus prolixior est, quam vt referatur. Secundi hæc sunt verba. *Quia cum experefactus esset Ennius non diceret se vidisse Homerum, sed sibi visum fuisse. Propert. lib. & Eleg. III.* Ennio tribuit etiam haustum fontis, vt non per somnium solum repente factum poëtam intelligamus.

Par-

Paruaq; tam magnis admoram fontibus ora
Vnde pater sitiens Ennius ante bibit.

Remouet igitur à se Persius causas duas, quas effectrices poëseos vocabant pseudo sui temporis poëtæ; qui nihil habebant quo se tuerentur, præter vulgatum figmẽtum, quod afflatu quodam repentino facti essent poëtæ.

BICIPITI PARN.

Ouid. II. Met.

Parnassusq; biceps, & erix, & cinthus, & otrix.

Alias biuertici. Idem *Ouid. 1. Met.*

Mons tibi verticibus petit arduus astra duobus
Nomine Parnassus.

Interdum bicorni. *Statius I. Theb.*

——————Si regna peti Cyrrea bicorni.
Interfusa iugo——————

Nonnumq; bifido, *Stroza filius*

Qnique refers doctas bifido de monte sorores.

Sacer erat Apollini, & Baccho, *Luc. lib. V.*

Mons Phœbo, Bromioq; sacer, cui numine mixto
Delphica Thebanæ referunt Trieretica Bacchæ.

Phæbo vertex Cyrra, Bromio Nisa sacer. *Lucan.*

——————nec te si pectore vates
Accipiam, Cyrrea velim secreta mouentem
Sollicitare Deum, Bacchumq; auertere Nisa.

Confirmat *Strabo initio lib. X V.* Delius etiam Alexan. Hymno ad Beatam Virginem Dei Matrem, qui extat in Cortycianis.

Somnia priscorum, figmentaq; maxima cedant.

Cyrra domus Phœbi, furiosi Nisaq; bacchi,
Et fons cornipedis volucris de nomine dictus.

Quæ duo numina vnum & idem esse ait *Ser. VI. Aeneid.* ad illa verba —— *immanis in antro Bacchatur vates* —— sed copiosissime *Macrob. lib. I. cap. XXI.* quod videntur voluisse significare antiqui pingentes Apollinem medium inter duo hæc iuga sedentem, sic enim scripsit Albericus. *Erat Apollo inter duo iuga montis Parnassi, de quo & fons Castalius scaturiebat.* Marsil. etiam Picinus de producenda vita hæc scripsit: *Phæbus, & Bacchus semper indiuidui fratres sunt: & ambo fere idem; Bacchus quidem est sphæra; Phæbus vero ipsa sphæra illius anima; Immo Phæbus est totus ipse sphæræ circus; Bacchus autem est flammeus in hoc circo circulus: Immo vero Phæbus est almum in hoc flammeo globo lumen: Bacchus autem existit ibidem salutaris ex lumine calor: Semper ergo fratres, comitesq; sunt, fere semper alter, & idem.* cuius figmenti causam apperit *Franc. Petrar. de secreto curarum conflictu lib. II.* nec. n. inquit sine causa veteres poëtas geminum Parnassi collē duobus dijs dedicasse suspicor. sed vt ab Apolline quem Deum ingenij vocabant intimum animi præsidium, à Baccho autem rerum temporalium sufficientiam implorarent. qui locus corruptissime legitur in vetusto codice.

SIC REPENTE.

Solo illius fontis haustu; vel in monte sōnio; vult innuere, (sed ironicè,) præclarè actum fuisse hoc nomine cum summis illis poëtis, quorum imagines hederę coronatæ in templo musarum positæ sunt. hanc igitur laudem fingit se illis

relin-

relinquere. *Lucianus de conſcribẽda hiſtoria.* Abderitas olim ex febre omnes repente factos fuiſſe poëtas. Idem refert, cauſamq; tam admirandæ rei apperit *Rhodog. cap. IV. lib. XXX.*

HELICONIDAS PAL. PIR.

Significat quæ vulgo habentur poemata grauiora, cum interim meras nugas continerent illis relinquere, qui ſtulta ambitione tument. ſe vero nihil turgidi; nihil ampullati meditari. per fontem Caballinum; Heliconidas, Pirenem, vult intelligi materiam inanem, & nihil publicis moribus profuturam; ſe vtilia ſcripturum, non venditare his nugis. huc pertinet illud *Satyræ V.*

Grande locuturi, nebulas Helicone legunto.

HELICONIDAS.

Muſæ, Heliconides dicuntur, non quia ab Helicone ſint, ſed quia organon erat muſicum, quod Helicon dicebatur, in quo nouem quædam chordæ erant, quas nouem appellabant Muſas. hæc *Rhodog. lib. XI. cap. IIX.* in quo tamen diſſentit, (vt alios omittam) *à Varrone lib. IV. De lingua latina*, vbi loquens de Muſis ait. *Ab terreſtribus locis cognominatæ Libetheides; Pimpleiades; Pimpleides; Theſpiades; Heliconides, videndus etiam Iul. Cæſ. Scaliger. dicit Caſaub. Perſium* Heliconidas, etiam ſi lex metri potius ſuadebat. Heliconiades, vt efficeret verſum amplioris ſoni, quod optime conueniebat ſententiæ, qua, inflatas iactationes inanium hominum ſuas nugas magnificientium derideret, doctè vt ſolet omnia. Heliconis, & Cithæronis montium, fabulam videbis apud *Plut. Opuſculo de fluuijs Cap. de Iſmeno.*

PALLIDAMQ. PIRENEN.

Si fontem intelligit quomodo pallidam? Methonom. est inquit, vnus vt Mors pallida. & pallentesq; morbi. Sed nemo non videt, quam dissimilia sint exempla, nihil.n.fit in oratione vitij, cum dicitur mors pallida, aut pallentes morbi; Sed non esset ferendus qui diceret fons pallida; Dicamus igitur primum pro Pirene pallida intellexisse Mulierem, quę ex morte Cenchri, vel vt alij Cenchrię filię intabescens, & ideo pallida conuersa est in fontem sui nominis, deinde pro ea voluisse fontem intelligi. Et erit quidem Metonom. sed longè à superiore diuersa. meras nugas venditant, qui Pirenes pallorem à fumo nescio quo deriuant. Est autem Pirene fons in Acro corintho, idest arce Corinthi, sic dicta, quod in editiore loco extructa imineat vrbi. illorum errorē, errorisq; causa docte aperit *Caseub.* qui Hipocrenen, & Pirenen fontes sic confundunt vt alterum pro altero interpretentur. de Acro corintho; Pirene. fonte Caballino; Pegaso; Parnasso: Helicone. *Strabo lib. IIX.*

IMAGINES.

Quæ non solum in æde Camænarum, sed passim asseruabantur in bibliothecis; vt, quibus in locis immortales doctorum virorum animæ loquebantur, semper in ijsdém vultus etiam effici viderentur, ac non poetarum solum sed aliorum etiam clarorum scriptorum. *Suet. in Calig. Paullulum abfuit quin ex omnibus bibliotecis Virgilij, & T. Liuij imagines amoueret; & Seneca ad finem cap. IX. de Tranquil. vitæ.* Nunc ista exquisita, & cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum, in speciem, & cultum parietũ

com-

comparantur. Vellicat hic dubio procul poeta, ſtultam nobilium ambitionem, quibus inſignia virtutis ſine virtute impertiebantur, propter fictas Adulatorum laudes.

LAMBVNT.

Vſquequaq; leuiter tangunt; ab animali ad non animal, & propriè ſignificat aliquid lingua tergere, vel etiam tangere; canes.n. bibendo lambunt, nec aquam tergunt. & quoniam motum lãbentis linguæ maxime videtur flamma, immitari, dixit translate *Virg. tactuq; innoxia moli.*

Lambere viſa comas ———

Et Seneca in Hercule Oeto, vbi actu V. narrat Philoctetes incendium Herculis, quem flamma videbatur non audere inuadere dixit

—— *Lambunt flammæ caput.*

Aliquando ſignificat blandiendo aliquid petere, quod ſolent facere canes dominos lambentes. in qua ſignificatione dixit *Cic. III. Ver. Quid iſta cohors quorum hominum eſt? Voluſij Aruſpicis, & Cornelij Medici, & horum canum, quos vides Tribunal meum lambere.*

HEDERAE.

Poeticis commiſſionibus, quæ fiebant in œde Camænarum, de quibus *Suet. in Auguſto. Admonebatque prætores, ne paterentur nomen ſuum commiſſionibus obſoleſieri.* qui vincebant hedera coronabantur. hinc *Horat.*

Me doctarum præmia frontium
Dijs miſcent ſuperis——Et alibi
Prima feres hederæ victricis præmia

quare cũ dixit in Poet. *Nãciſcetur enim preciũ nomẽq; poetæ.*

Pro precio corona ex hedera est accipienda. cui tamen vsui non quælibet hedera adhibebatur, sed ex duplici nigra, minus nigra, quæ Nisa, seu Bacchica dicebatur. Auctor est *Plin. lib. XVI. cap. XXXV*. Porro sunt qui nullum genus coronæ poetis tribuant preter hederaceam; nam, quod ad lauream attinet, Germanus valens ad illud *Virg. sep. Eglog.*

Pastores hedera crescentem ornate poetam.

Ruellium ait lib. I. de natura stirp. mirari, quòd Horat. lauream non solum Imperatoribus, sed etiam poetis dicatam cecinerit. Ouid. certe Elegia qua deflet Tibulli mortem, in campis Elysijs hederaceam tribuit poetis, ait enim.

——— In Elysia valle Tibullus erit
Obuius huic veniet hedera iuuenilia cinctus
Tempora, cum Caluo docte Catulle tuo.

Acron verò apud Horat. loco supra producto.

Hederæ doctarum præmia frontium

Quia hedera (inquit) tantum poete solebant coronari. *Fulgentius* etiam in præfatione, fingit sibi astitisse musas hedera coronatas, his verbis. Astiterant itaq; syrmate nebuloso, lucidæ ternæ virgines, hedera largiore circunfluæ. Video tamen Myrteæ corone meminisse. *Ouid. Eleg. vlt. lib. 1. Amorum.*

Sustineamq; coma metuentem frigore myrtum.

Et Aristoph. in cerealibus facit seruum ab Agathone poeta egredi ignem, *& myrteas virgas ferẽtem*, quare dixit Mnesil. eum videri velle Poesi sacrificare. hederæ cur honorem tribuerit Bacchus volueritq; Bacchantes illa coronari, docet *Plut. probl. I.* Dec. in probl. conuiualium, deq; eius natura dispu-

disputat toto sequenti problem. apud me quidem sunt capita duo Bacchantium, vnum virile, muliebre alterum: antiquissimi operis, affabre facta, è nigro marmore, pallentibus maculis interfusis, & (vt apparet) ab integris statuis olim reuulsa, quæ coronata sunt hedera itidem marmorea, cum foliis, & corymbis albis, qualem describit *Plin. lib. XVI. cap. XXXV.* ex quo facile mihi persuadeo lapsum fuisse *Seru. ad illud Virg.* — *hedera formosior alba*, affirmantem, nigrā ab alba hedera, nō folijs, sed ligno distingui; præsertim cum in culice Virgiliano legatur.

— Hederaq; nitor pallente corymbo.

S E Q V A C E S.

Hederę multa epitheta tribuuntur, sed tria potissimum, quę huic respondent tenax. *Catul. Epithal. Iuliæ.*

Vt tenax hedera hac, & hac
Arborem implicat errans.

Nexilis, Ouid. V. Met.

Nexilibus flores hederis habet intertextos

Flexibilis idem X.

Vos quoq; flexibiles hederæ venistis, & vna

Sed veteres lyricos dixisse etiam flexipedes auctor est *Seru ad illud Egl. IV.*

Errantes hederas.

S E Q V A C E S.

Lucr. lib. II. Re veraq; metus hominum, curaq; sequaces.
Et lib. III. Naturas hominum varias, moresq; sequaces.
Et Virg. Georg. II. ——— Capreæq; sequaces.
Et V. Aen. ——— Maleaq; sequacibus vndis.

Et IIV. *Miscebant operi, flammisq; sequacibus iras*

Martialis *Niliacum ridebis opus, lanasq; sequaces.*

Ausonius in Genethel. ad nepotem. —— *cura magistri*
Imbueretq; nouas artes, sensusq; sequaces.

Polit. *Quem metuunt intrare pauor, curaq; sequaces.*

Plin lib. VII. cap. XV. Bitumen sequax, & lib. IX. cap. I. facilis officina, sequaci materia fluit, & alius; *quarum si fuerit sequax.* loquitur de Musis, & alius. *Hæ sequaces amantium sunt curæ. Budeus de Asse lib. X. Videlicet Gallia tam inops est virorum, aut Reges nostri non habent vnde præmia sequacibus suis persoluant?* quibus exemplis liquido apparet, veniæ præfationem, qua *Plin.* vsus est Panegir. his verbis. *Flexibiles quamcunq; in partem ducimur à Principe, atque, (vt ita dicam) sequaces sumus.* non ad vocem duriusculam, vt vir doctus existimauit, sed ad moliendam translationem pertinere. Sic *Cic. de Amicitia. humilem sane relinquunt, & minus generosum, (vt ita dicam) ortum amicitiæ.* & iterum eodem lib. Amicos parare optimam, & pulcherrimam (vt ita dicam) suppellectilem. Quibus locis nemo dixerit generosum, & suppellectilem, præmunitione eguisse, quod essent voces duriusculæ. sicut nec, quod dixit in Catone maiore. *Voluptas rationis inimica, ac mentis, (vt ita dicam) perstringit oculos.*

SEMIPAGANVS.

Inter militem, & Paganum medius, & per trãslationem, nec bonus poeta, nec omnino poetices ignarus. itaque scribendo carmine semiexercitatus, quod ipsum voluit primis verbis intelligi, cũ dixit. *Nec labra prolui;* non enim aliquid

ex fonte illo hausisse, nam sic esset prorsus rudis, & carminũ expers, nec semipaganus, idest semipoeta; sed negat eo se proluisse, quod summis tantũ poetis sit concessum, quos superius Ironice intellexit, quod non aduertit *Lubinus, qui ait Persium fateri, nema desecisse quidem, aut etiam irrigasse labra huius fontis aqua*. Porro quod se semipaganum vocat, opponit huius vocis modestiam poetastrorum arrogãtiæ; *Casaubonus ait posse aliter accipi, scilicet, vt dicas, se semipaganum quod sine fabulis, (quas non admittit hoc genus carminis,) nulla censebatur esse Poesis legitima*. quam tamen expositionem non probat, quod se scire ait menti auctoris non conuenire. Sane constat Corinã id consilij dedisse Pindaro ne sine fabulis pœmata conderet; esse namq; eas illorũ animam.

SEMIPAGANVS.

Subagrestis, quales sunt satyri, in agris, ac siluis versati, & ludere soliti, hæc *Murmel. innuens opinor; hoc se Persium nomine appellare, quia satyram scribat Theod. Marcill. semipaganus satyriscus*. nam satyra originem, si spectes, rustica est, & paganica. Paganus dicebatur, qui militiæ cupiens erat, & illi ascribi volebat, eo enim interuallo, quo id quærebat, & ad militiam aspirare tentabat Paganus, mox militiam adeptus miles dicebatur, vnde Persius volens ostendere se nondum poëtam esse dixit

——ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.

Hæc Adrianus Card. de modis latine loquendi. Franciscus Mar. Grapaldus de partibus ædium in Penario. Recocta salita etiam num vtuntur rustici semipagani vice casei. eos nimirum

signi-

significans, qui medij sunt inter ciues, & rusticos. *Plin. etiam secundus Epist. ad Rufum lib. VII.* cultum paganicum dixit. *Sunt enim, vt in castris, sic etiam in literis nostris, cultu pagano. Ausonius ad Theonem.* Tædas lumina vocat paganica.

Fumantesq; olidum paganica lumina Tædas.

AD SACRA VATVM.

In ædem Apollinis ab Augusto constructam, & consecratam in ea parte domus Palatinæ, quã fulmine ictam desiderari à Deo pronunciarunt Arusp. *Suet.* quo respiciẽs vetus poeta, qui sub nomine Augusti de Aeneade Virgiliana scripsit, facit Augustum ipsum sic loqui.

Noster Apollo veta, Musæ prohibete latinæ.

Noster dixit, quia à nobis es consecratus. ex quo apparet frustra ibi emendatum fuisse; pulcher Apollo veta. hæc ædes postea Imperij Commodi anno octauo cum de cęlo iterum tactũ esset Capitolium cum vicinis quibusque ædibus concremata est. *Euseb. Chron.* de qua *Horatius* multis in locis, & diserte *Propert.*

Musa Palatini, referamus Apollinis ædem.

Ita procliuis est hæc expositio, & ad mentem Persij accomodata, vt mirer in aduersarijs, hunc locum aliorsum trahi, vbi dicitur. Quod hic de camænarum æde affertur ad sententiam Persij nihil facere, hoc enim ideo dictum esse, quod se poëtæ sacros existimant, fateor, sed Persius negat se poetam, itaq; non dixit ferre sacra vatum. quod tantum musarũ sacerdotibus licebat. Vnde *Virg. II. Georg.*

Me verò primum dulces ante omnia musæ

Quarum sacra ferro,

Et confirmat *Martialis ad Silium.*

Sacra cothurnati, non attigit ante Maronis,

Sed dicit ferre carmẽ suum ad sacra vatum, ibi nimirum exploraturus iudicium poëtarum, an & ipse dignus sit, qui Musarum sacris initietur. Quare aliud est ferre sacra musarum; aliud ad eadem sacra ferre carmen; hoc ad eos pertinet qui cupiunt initiari; quorum vnum se fingit Persius; illud est eorum, qui se Musarum sacerdotes profitentur, in quo alludũt ad sacra Deorum solemnia, in quibus reges ipsi cistellas gestabant. Itaque *Aen.III.*

Sacra Dioneæ matri, diuisisq; ferebam
Auspicibus cæptorum operum———

merito id faciebant reges; Oportet enim Principem res diuinas videri curare serio, & ante omnes; minus enim formidabunt populi ne quid contra Iustitiã faciat, si religioni deditum illum existimabunt, minusq; contra illum audebunt insurgere. *Arist.V. Polit.cap.XI.* Sacra habere commune est artium omnium; *Casaub. quinto cap. vlt. libri. Peregisse mihi videor sacra tradentium artes.*

AFFERO.

Recitaturus, de quo more, multa collegerũt *docte Theod. Marcil. & Ioann. Tornarup. affero eo consilio, vt si poeta probabor Romanorum moribus corrigendis prodesse possim. nam vt de se ait Lucan. Panegyr. ad Caspurnium.*

———*nec me diuitis auri*
Imperiosa fames, & habendi sæua libido
Impulerit———

non

non ſecus,ac pſitacos,vt ſuum chære expediant,vt picas, vt verba noſtra conentur.& ſic erit cōſtans,& conſequens huius prologi ſenſus, ſublatis quæſtionibus,vel controuerſijs potius,quibus multi ita locum obſcurant, vt, quid certi elici poſſit non appareat.

QVIS EXPEDIVIT.

Niſi hic Ironiam agnoſcamus, vt,quod de ſe videtur dicere, de ſui temporis poëtis intelligamus, ridiculū eſſet eius conſilium;qui,vt mendicitati ſuæ conſuleret, ſcribenda ſatyra certiſſimam rationem iniuiſſet,in hominum offenſionē præſertim potentiorū; vnde ſubſidium ſperare potuiſſet incurrēdi. quod illi monitor ſequenti ſatyra proponet ad metum vbi dicet.

——vide ſis,ne maiorum forte tibi
Limina frigiſcaat——

Vide *Turneb. cap.XIII. lib. X.*

QVIS EXPEDIVIT, ET DOCVIT.

Dupliciter peccat hoc loco interpres vnus ex recentioribus,primum exiſtimat, verba hæc ad eos poſſe referri, qui huiuſmodi aues docent;qui ſcilicet paupertate coacti ; huic ſe induſtriæ dedant, vt aues ipſas carius vendant. idq; videtur ſumpſiſſe à *Petro Greg. Thol.coment. in Prologomena Artis Mirab. cap.IV. & lib.XXIV. cap.I. Sintaxis.* quod nullo modo eſſe poteſt, id enim declarant verba, quæ ſequuntur.

Venter negatus artifex ſequi voces.

qnæ labentibus Muſis,ad homines vnquam pertinebunt,ac ne ille quidem expoſitor, cum verba illa interpratatur au-

det affirmare. Deinde, cum dicit, eadem ipsa verba, Expediuit, & Docuit; ad aues etiam pertinere posse; ita accipit; cum iam humanas voces didicerint, quod fame extimulantur illas proferre; vt alios salutare doceantur, vt cibum capiant; hæc enim illius sunt verba, vt confusa, sic à mente Persij alienissima, qui per has auiculas, vult intelligi ingenium illorum poetarum quos perstringit: hoc enim ait, noui isti poetæ similes sunt Psitacis, ac Picis, quas aues, non natura; sed fames, & venter cogunt humanas voces imitari. Quæro igitur, vtrum ne poetæ isti vrgente fame fundant carmina, quorum artem antea didiscerant, an quæ fames ipsa præsens expresserit; hoc nimirum, non illud; nam aliter esset illorum Apollo venter. Ergo dicendum erit idem de Auibus, vt fame coactæ voces hominum discant, quas natura illis negauit, non magis quam illiusmodi poetis Apollo ingenium, & vere auicularij isti (libuit.n. percunctari) inter cætera hoc faciunt, vt primum ostenso, mox sublato cibo, quasi per vim ab illis exprimant verba dictata, nisi malint inemori spectaculo ostensi cibi. quin interdum accidit, vt non nullæ, postquam verba nostra proferre didicerint, tanto studio illis delectentur, vt cibum capere obliuiscantur. quod inter laudes sui Psitaci retulit Ouid. vt mox dicam.

QVIS EXPEDIVIT.

Quę hic inferius dicuntur à Persio non visa sunt cohęrere superioribus *Ant. Lullo lib. III. de Oratione.* Sed ego aliter superius ostendi in argumento huius Prologi.

Psi-

PSITACO PICASQ.

De ijs copiose *Plin.lib.X.cap.XLII.* quem qui viderit intelliget cur de Psitaco dicatur, expediuit, de Pica vero, quis docuit conari, quæ siquidē interdum victæ difficultate verbi emoriuntur; de quibus etiam *Solinus* sed in duobus differt à Plinio; quod.n. ille ait Picas citius adiscere, quibus sunt quini in pedibus digiti, ac eas quidem ipsas expressius primis duobus ætatis annis; Vtrumq; Solinus soli tribuit Psitaco. quod idem facit *Apul.Florid. lib.II.* vbi multa de hac aui. *Arist.* in historia animalium his auibus præcipuam facultatem conficiendæ locutionis ait esse, quibus lingua est mediocriter lata, vel tenuis; Albertus etiam existimat aues omnes facilius loqui discere à pueris, quam à viris. quæ Manilio referente ex Firmico refert hic Casaub. egregie sic expressit *Pontanus in Vrania. cap. De Arcturo, & Cycno.*

——— Surgens vagus æquore eximus
Insidias auium generi, & caua retia tendit
Aucupiumq; docet, molleisq; inflectere cantus
In caueis, nostras varianti gutture voces
Reddere, & humanā referentia murmura linguā.

Coruorum, psitaci, picæ salutatorum, iucundissimam historiam uidebis apud *Macr.Satur.lib.II.cap.X.* Psaphon olim, uel ut alij *Absephus Libicus*, infimæ sortis homunculus, quā uafro consilio per huiusmodi auiculas uocales diuinitatis opinionem, diuinosq; honores sibi adsciuerit, uidebis apud *Cæl.Rhodog.lib.III.cap.V.* id uerò satis mirari nequeas, quod à Plutarcho memoriæ proditum est; de pica, quæ biduo ex quo tibiarum sonum audierat, eum ita egregiè imitata est,

&

& expressit, vt seruatis per diligenter ijsdem periodis, mutationes insuper omnes, numerosque, eodem pacto quo tibiæ seruauerant. Nec multum aberat ad huius picæ industria, Sturnus, quem, cũ essem Adolescens in Gallia, sępe audiui Tolosæ qua recta ad Diui Saturnini, integram cantiunculam, qua Regem Carolum tunc Gallię imperantem tamquam per viam illam transeuntem salutabat, modulatè can tantem. cum interim altero pede tempus metiretur. Et, vt erat solers ad omnia ferre quæ auribus percipiebat exprimenda; sternuentem quendam semel voluit imitari, conatumq; non assecutus, effusus est in risum, cum omnium qui aderant admiratione, inter quos ego eram cum Petro Francisco Comite Taurello. historia quam hic *Casaub. ex Cedreno, de Psitaco, qui saluti* fuit Basilij filio. videtur confirmare opinionem *Anaxag. Pythagoræ, & Plat. asserentium animas brutorum esse rationis participes*. vt refert *Plut. de placitis philosophorum, lib. V. cap. XX.* quorum rationes videbis produci, deinde refelli in cõment. *Collegij conimbric. in Phisic. Arist. quæst. III. art. I. II. & III.* sed & *Lactantius de ira Dei cap. VII. ijsdẽ ait inesse intelligentiam, & cogitationẽ.* Scripsit ẽt *Plinius psitacos interdũ sermocinari, atque ad interrogata respondere.* quã solertiam tribuit *Statius Sylu. II. psitaco meliori.*

Ille salutator Regum, nomenq; locutus
Cæsareum, & queruli quõdam vice functus amici
Nunc conuiua leuis, monstrataq; reddere verba
Tam facilis, quo tu melior dilecte recluso
Nunquam solus eras ————

Cæsares etiam iuuenes ait idem *Plin. luscinias habuisse græ-*

 co,

co, & latino sermone dociles, præterea meditantes in diem, & assidue noua loquentes longiore etiam contextu. De huiusmodi auibus multa etiam *Franc. Petrarca, de remedio vtriusq; fortunæ, dialogo XLV.* vbi multis verbis historiam refert nescio cuius, qui cum vicini coruum loquentem, inuidia, vel ira percitus occidisset, ex vicinia primum pulsus, deinde etiam à Populo interfectus fuit, coruumq; operosis exequijs, & solemni funere elatum ac sepulturæ traditum tandem grauiter in hæc verba exclamat: O inefabilis populorum semper insania, in illa vrbe fletum, & sepultum coruũ, & huius interfectorem ciuem rom: morte multatum, in qua nec Africanus maior sepulchrum habuit; nec minor vltorem., quia coruus hic populum salutabat, vt diximus, illi autem non salutabant, sed salutem populo gloriamq; contulerũt. adeo gratior vox coruorum, quam virorum virtus illustriũ fuit. Et quamquam *Arist. primo Polit. asserit sermonem solum hominem habere, bruta vero vocem,* fuerunt tamen etiam primę notę Philosophi, qui dixerunt plerasq; aues omnes inter se colloquia serere. quod olim creditum quoq; fuit in disciplina augurali hinc illud ——— *qui sidera sentis*

Et volucrum linguas ———

De quibus Pacuuius, His, qui auium cantus intelligunt, magis ex alieno iecore sapiunt, quam suo, Magis audiendum quam auscultandum censeo. refert. *Ios. Scalig. in cõiectaneis in Var. de lingua lat.* quæ opinio primum habuit auctorem *Democritũ; prædicantẽ insuper, si quis cõmedisset serpentẽ, quẽ nasci dicebat ex cõfuso sãguine quarũdam auiũ quas ipse nominabat, fore vt loquẽtes inter se intelligeret. quin et hoc insulcani,*

dra-

draconem nescio quē lambendo aures Melampo eūndem illi intellectum dedisse; quem etiam affirmat habuisse Teresiam, Thaletem, & maxime omnium *Apollonium Tyaneum.* quod illi contigisse creditum est, quod multum gereret in anima ætheris purioris, idest, vt interpretabantur multum spiritus animæ mundi, quem dicebant corpus esse tenuissimum; quasi non corpus; & quasi iam anima; item quasi non anima; & quasi iam corpus, in cuius virtute minimum sit naturæ terreæ, plus autē aqueę; plus item aëreæ; rursus ignis, & stellantis quamplurimum dicebat *Iarcas Indus*; is, qui eidem *Apollonio Tyan:* dono dedit septem annulos, singulos singulis Planetarum characteribus insignitos, ad certa quædam cælestis cursus momenta factos, quos ille gestabat distinguens iuxta dierum nomina. stultè nimirum existimans, his, sibi cælitus omnia prospere cedere. atq; hinc, ex istis inquā septem annulis, ortū duxit consuetudo, septē planetarū nomina singulis hebdomadæ diebus attribuendī.

PSITACO.

Psitacus, vt refert *Ioan. Boccat. Geneal cap. XLIX. lib. III. ex Theodontio.* filius fuit Deucalionis, & Pirræ, & Promothei aui sui doctrinis imbutus, ad Aetiopas abijt, vbi in maxima veneratione habitus, cum in lōgissimum euasisset ęuū; Deos orauit, vt rebus subtraheretur humanis, cuius precibus Dij faciles, eum in auem sui nominis mutauerunt. hæc auis olim adeo fuit inusitata, vt in ornatibus publicis cū merulis albis proponi consueuerit, *Varro de Re Rust. lib. III. cap. IX. Psitaci mortem deflet elegantissime Ouid. II. Eleg. VI. Eleg.*

——— ——— cuius
Clamauit moriens lingua corina vale.
Non fuit in terris vocum simulantior alter
——— nec præ sermonis amore
In multos poterat ora mouere cibos.

Quem locum in mente habuit *Franc. Petrarca lib. II. de secreto curarum conflictu, vbi ait de ijs, qui inani eloquentia delectantur, tantum voluptatem ex sermone percipere quarũdam auicularum in morem, quas aiunt, vsque ad perniciem, proprij cantus dulcedine delectari. T. etiam Vespasianus Stroza lib. VI. Erot.*

Prisca salutato si paucis Cæsare verbis
Nigrantes ætas nobilitauit aues,
Quid tibi facunda fingenti plurima voce
Tam bene, tam docte, psitace laudis erit?

SVVM CHAERE.

Sic Auctor Philomelæ.

Psitacus humanas depromit voce loquelas
Atq; suo domino Chære sonatq; Vale.

Suum verò dicit, non quòd sit illi ingenitum, & naturale, vt existimat *Nebris*. quid enim attineret docere si esset illi naturale? sed perfacile, & procliue ad pronunciandum. græce dixit, vt aculeum admoueret quibusdam, qui Romanam linguam fastidientes græcam affectabant; sicut olim *Sceuola salutauit T. Albutium,* qui græcus, quam Romanus videri malebat.

Chære inquam Tite, lictores, turma omnis chorusq;
Chære, ò Tite———

Vi-

Videbis apud *Cic. I. De Finib.* quem postea sit imitatus est *Anselmus Nepos. lib. 1. Ad Philonem*, eodem modo laborantem, latinam inquam linguam nauseantem.

Chare ò Philon, græcanica ò Philon Siren
Achaiæ octaue ò Philon sophos, chare
O nate moribus recens Cato nostris.

Totum epigramma bellum est, & dignum quod lector adeat.

NOSTRA VERBA CONARI.

Quæ huiusmodi aues fantur, verba esse non verba his verbis docet *Varro, De lingua latina lib.IV. loqui ab loco dictum, quòd, qui primo dicitur fari, & vocabula, & reliqua verba dicit, antequam suo quidq; loco ea dicere potest, hunc Chrysippus negat loqui, sed vt loqui, quare vt imago hominis non sit homo; sic in coruis, & cornicibus, pueris primitus incipientibus fari, verba non esse. hæc M.Varro.* Aduertenda est ratio, non sunt verba quia non loquuntur; quòd vero non loquātur, ex verbi notatione patet quia, is, loquitur qui suo loco quodq; verbum sciens ponit, quæ industria cum esse non possit in auibus, superest illas non loqui, sed fari. quare Statius cum inuitat omnes aues vocales ad deflendam mortem Psitaci Melioris, prudenter dixit.

Huc doctæ stipentur aues, queis nobile fandi
Ius natura dedit ———

Fatur autem vt idem ait *Varro, qui significabilem ore emittit vocem* quod dicendum est de Picis, & reliquis auibus hominis vocem imitantibus, quas nemo negauerit vocem significabilem emittere. *& Plato in Theæt. cum dicit loqui, qui*

cogitationem suam voce, per verba nominaq; exprimit. cogitatio vero Auctore *Varrone, à cogendo dicta est,* quia mens plura in vnum cogit, vnde eligere possit. Itaq; cum mente viq; eligendi careant aues, cogimur fateri, eas non loqui, sed quod dicebat *Chrysippus vt loqui*, vel secundum *Varronem fari*; huc pertinet *Probl. Arist. XXVII. Sect. XI.* quædam etiam non aliena ab hoc loco videbis apud *Rhodog. & Petrum Greg. Theol. cap. V. cõment. in Prologum Artis mirabilis.*

MAGISTER ARTIS.

Belle perstringit sui temporis poëtas, qui cum Apollinis furorem simularent, non illo tamen conciti; ad pangenda carmina se comparabant, sed fame coacti. Quare venter erat illis Apollo, & Artis magister, non secus ac Psitacis, & Picis.

INGENII LARGITOR.

Ingenium definitore *Cic. V. De finib. Est vis quædam naturalis nobis insita, suis viribus præualens ad inueniendum quod ratione iudicari possit*; quare quis negabit ingenium hic pro industria positum? quam maxime accuit paupertas: cogit.n non solum quemlibet sibi aduigilare, sed bestiolis solertiam addit, vt coruo illi fecit, qui, cum siti laboraret, & aquam pluuiam in situla monumenti cõspexisset, eamq; attingere non posset, & in situlam se dimittere paueret, lapidibus in illam congestis, tali congerie aquã expressit, quæ poturo sufficeret. *Plin. lib. X. cap. XXXXIII.* hic neq; aliundè ortum habent tot artes, neq; alio consilio: *Iupiter*

—— passim riuis curentia vina repressit,
quàm Vt varias vsus meditando extunderet artes.

VT

vt vere dixerit *Archytas*, *omnes prudenter vitam instituere infortunijs pressos; & potentem esse egestatem ad contrahendũ, & componendum animum.* *Quare Ouid.*

—— miserisq; venit solertia rebus.

Itaq; Mercurius apud Lucianum in Timone, Satellites huic attribuit laborem, Tollerantiam, Sapientiam, & Fortitudinẽ, & apud eundem paupertas ipsa de se loquens, *operatricem optimam, & magistram se virtutum prædicat. Galesinus quoq; parasitus in Sticho.*

Paupertas omnes artes perdocet vbi quem attigit.

Horatius —— Paupertas impulit audax,

Vt Versus facerem ——

cuius laudes & vtilitates multas ennumerat *Apul. Apolog. I.* non plures tamen, quam multis locis *Seneca, & præcipue Epist. XVII.* merito igitur vsurpatur illud vetus. *Ars ipsa inopiæ portus est mortalibus. Vide Adagia; Artem quæuis alit terra. Paupertas sapientiam sortita est. Vulpi Esurienti somnus obrepit.* nonnulla etiam hic refferri possunt, ex *Lactantio de de vero cultu cap. IX. Et verè paupertas, bonis est ad virtutem viaticum*, vt verè dixerit *Arcesilaus eam esse efficax virtutis gymnasium: & Plut. auspicandæ Philosophiæ instrumentum. Anaxim. quoq; referente Stobeo dicebat, paupertatem homines, & in artibus præstantiores; & in rebus ad vitam pertinentibus prudentiores reddere, grauemq; esse sapienti magistram.* Porro ipsa quid de se dicat laudes suas prædicans videbis apud *Aristoph: actu IV. in Pluto de qua etiam Lucanus*

—— —— fœcunda virorum

Paupertas fugitur ——

Hanc tamen cantare sub antro Pierio tyrsum ve posse contingere negat *Franc. Petrarca. Epistola quadam ad Olympum.* dixi eã bonis esse ad Virtutem viaticum, quia, *vt recte Hecuba apud Euripidem*

Frugi vsq; frugi, sors neq; ingenium viri
Aduersa vitiat, sed probus semper manet.

Sed si prauum sortiatur ingenium ad omne facinus in praeceps rapit. nam vt ibidem eadem *Hecuba*

——— *Mortalium quisquis malus*
Nil possit esse quam semper malus

Ad quod genus paupertatis respiciens *magnus poeta in sexto illam in vestibulo orci statuens, malesuadam vocauit. Et Diuus Asterius Homelia de Diuite, & Lazaro; Illis inquit qui moribus, & ingenio prauo sunt; viaticum est ad mala multa facinora coacta paupertas. huius sororem dicebat Alceus esse perplexitatem.*

VENTER NEGATAS ARTIFEX SEQVI VOCES.

Artifex, non ijs tantum auiculis quarum mitis est natura, & ad quas informandas hominũ accedit industria. sed, quod magis mirere, Hyenis pessimis ferarum Aethiopiæ mõstris; quas tradunt inexhausta auiditate sic rapi ventris explendi, seque humana carne ingurgitandi, vt suapte natura, postorum stabula noctu occulte lustrantes nomen alicuius adiscant, quem humanam vocem assimulando foras euocatum lacerent. Quod tamen, an verum sit dubito. Nam *Arist. lib. VI. de hist. Animal. toto cap. XXXII. de natura huius ferae, colore magnitudine, iubis loquens,* nihil huius rei meminit, nõ

alioqui prætermisurus, si quid tale de ea cōpertum habuisset. Sed ait idem *Arist.cap.V.lib.IIX.eiusdem historiæ. Hyenem, quam quosdam ait vocare Glanum, moliri insidias homini, & sepulchra effodere humanæ carnis auidam, vomitionesque hominis imitando canes capere;* De hac fera multa videbis apud *Ioann.Rauis.Text.parte II.offic.* idem creditum à quibusdam de Crocotis, de quibus sic *Diodor.lib.IV. Quas verò Aethiopes appellant Crocotas mixtas, sunt canis, lupiq; natura, sed ambobus deteriores, dentibus ita validis, vt ossa omnia facile conterant, & digerant comesta.* Quod animal scibunt quidam vocem hominis imitari, idem facere Cynocephalū scribit idem auctor.

VENTER ARTIFEX.

Quia fames artificia docet. *Senec.Epist.XV. Quod si velis quemadmodum ambules discere, admittes istos, quos noua artificia docuit fames.*

SPES REFVLSERIT.

Aut à Nerone, aut ab aliquo Procerum, cui adulentur; vel propter carminum molliciem placeāt, ex eo sibi persuadebūnt cœptum esse cognosci quantum excellant pangendis carminibus. Quare videbis illa turgide, &(quod aiunt) rotundo ore nugas suas recitare, vt si melos ipsum Pegaseium cantarent, non magis sibi placerent, aut minus elati, & turgidi se se venditarent; nam cantare credas. non ad eorum meritum, sed ad vanam stultamq; ipsorum de se opinionem est referendum, qui cum Bauij sint, & Meuij Musasum agūt præsides. Quod hominum genus comparat *Plut. de profectu morum,* spicis inanibus; vt enim illæ quia inanes sunt, extollunt

tollunt caput, & videntur superbire, ita isti nihil habentes ponderis, aut grauitatis, elato sunt animo, & habitu, incessu, vultu deniq; nihil præter merum fastum, aliorumque præ se contemptum ferunt.

DOLOSI NVMMI.

Quod eius cupiditate, in dolos, & fraudes agantur homines inquiunt plerique omnes expositores, præter *Casaub. qui, vel communi (ait) vsus est epitheto, & ad sententiam nullum habente momentum, vel dolosi, non virtute, sed per fœdam adulationem parti*. Ego malo, dolosi, doli pleni; quomodo dicimus, dolosa consilia; mulieres, illecebras dolosas, quæ nos decipiunt, atq; aliò perducunt, quam quò sperabamus, & polliceri videbantur, qui est dolus maximus pecuniarum, quarũ cupiditas primò se se hominibus insinuat, spe honestioris, & trãquillioris vitę; sed semel recepta, ad minus quietam semper, nonnũquam etiam turpiorem, & sordidiorem conditionem perducit. Quod vult significare Persius famelicis illis poëtis accidere; qui proposita quantumlibet spe tenuis lucri ne turpedinem quidem adulationis cognoscunt, cæca est enim habendi ingluuies, ac se inspicientes excæcat.

CORVOS POETAS.

Coruum ponunt in tutella Apollinis; *siue quod solus contra rerum naturam in medijs ipsis æstiuis feruoribus ouiparos pullulet fœtus; siue quod in Horospicis libris secundum Anaximandrum, siue etiam secundum Pindarum, solus inter omnes aues significationes habet vocum. Hæc Fulgent.* in corui fabula. quod tamen falsum esse iam constat. *Albericus etiam de*

Apol-

Apolline; Iuxta illum erat virilis laurus picta, & coruus desuper volitans pingebatur, auis scilicet ipsi deo consecrata. Atq; hunc puto intellexisse *Statium Sylu. II. de morte Psitaci cum dixit*.

Plangat Phœbeus ales———

Et quoniam de coruo loquimur, addamus hoc obseruatione non indignum, crocitantem illum, & quasi singultantem habitum fuisse pessimi hominis, clara verò voce clamantem, optimi ac præsentissimi. Quare cum Alex. ad Amonem iret, atq; immensis illis Lybiæ arenarum campis, de via errore deflexisset, duarum huius generis auium repentino aduentu, quæ clamando reuocarent, & preuolando iter mõstrarent seruatus fuit. aberrant à germana huius loci sententia, qui negant pro coruis, & picis intelligi malos poëtas, si enim mali inquiunt, quomodo melos Pegaseium cantabunt? eos accipientes, qui prius quidẽ corui, & picę erant, sed cogente necessitate effecti sunt poëtæ, in quam fraudem adducti sunt, quia cantare credas ad auditorum iudicium falsò referendum esse existimant, non ad stultam poetarum ipsorum existimationem.

POETRIAS.

Semel vsus est *Cic. hoc nomine pro Cælio. Verum hæc tota fabula, veteris, & plurimarum fabularum Pœtriæ, quàm est sine argumento*. Loquitur de *Clodia*. poetriæ insigniores fuerunt *Sappho; Corina; Hedyle; Magalostrata*; quarum vita infamis, & omni libidine inquinatiss. fuit.

PEGASEVM.

Pegaseiũ melos, accipe pro carmine suauissimo, & à Musis

ſis ipſis dictato; *Sappho Ouidiana.*

At mihi Pegaſides blandiſſima carmina dictant.

De Pegaſo *Plin.cap.XXI. lib.IIX. Aethiopia generat multa animalia monſtro ſimilia, penatos equos, & cornibus armatos; quos Pegaſos vocant;* hos tamen, & Gryphas inter fabuloſa connumerat *cap.XLIX. lib.X. Solinus verò Pegaſos ait nihil equinum, præter aures habere.*

M E L O S.

Melos definitore *Ant.Lullo lib.V.cap.VI. eſt ſuauis modulatio vocis, quam intentio facit, & remiſſio in certis quibusdam, & definitis locis;* quæ definitio ſi vera ſit, non erit melos Lyricorum tantum, vt placuit *Scalig. Angelus Polit. centuria I. legendum putat nectar, non melos* quo nomine *Nebriſcenſis ſignificari inteidum immortalitatem putat*, & hic poſſe intelligi cantare credas immortalitatem; aut etiam ait, cantando repræſentare nectar Pegaſeium. Sed neutrum placet. recte *Turnebus lib.IV.cap.XXII.* tuetur vulgatam lectiones; dicit tamen *ſeruato, atq; incolumi numero legi poſſe*

Cantare Pegaſeium melos credas.

Quod illo prior aduerterat *Plautius. melos, & melus* dixiſſe veteres videbis apud *Nonium*

De Charactere Satyricorum ex *Angelo Polit.*

Charactere vſi ſunt Satyri eodem ferre quo veteres comici; ſumma illis inequalitas; modo exiles; modo tenues; modo exultantes, & veluti ampuloſi; nunc ſtricti; nunc caſtigati; nunc vagi; nunc effuſi, plerumq; autem obſcuri; operoſi; impliciti; cultuq; quodam florentes, acquiſito atq; affectato. Idiotiſmum præcipue adamant, rem quæ inter oratorias, ac poeticas virtutes raro procedit

cedit, magnoq; indiget temperamento, nuda sunt verba illis, propria, significantia, energiæ plena, non græca tamen, non alioqui peregrina, non trita quoque vulgo, & exculcata; non sordida, non obscæna, & scurilia reformidant. Multa aspere, multa seuere, multa blande, multa etiam ambigue dicunt, & subdole: toti vrbanitate, & salibus, scatent sensiculis, atq; acuminibus: nunc omnia oblinunt felle, nunc aceto conspergunt, nunc iocis, & lasciuia condiunt, nunc mundi, nitidi, candidi, nunc horridi, agrestes, squallidi; nunc leniculi, improbi, petulantes; nunc vehementes, incitati, minaces; Reprahendunt acriter, insultant impotenter; vafre cauillantur; astute obrepunt, effluunt lubrice; tergiuersantur; illudunt; dissimulant; ardent; versant; suspedũt, feriunt; pungunt, prouocant; titillant; stomachantur, attonãt; ceu fulmine omnia concutiunt.



SA-

SATYRA PRIMA.



Curas hominum, ò quantum eſt in rebus inane ;
Quis leget hæc? min' tu iſtud ais? nemo hercule. nemo?
Vel duo, vel nemo. turpe, & miſerabile. quare?
Ne mihi Polydamas, & Troiades Labeonem
Prætulerint. nugæ, non, ſi quid turbida Roma
Eleuet, accedas. examen ve improbum in illa
Caſtiges Trutina: nec te quæſiueris extra.
Nam Romæ eſt quis non? ah ſi fas dicere: ſed fas
Tunc, cum ad canitiem, & noſtrum iſtud viuere triſte
Aſpexi, & nucibus facimus quæcunq; relictis,
Cum ſapimus proauos: tunc, tunc, ignoſcite, nolo:
Quid faciam? ſed ſum petulanti ſplene cachino.



OEPERAT Perſius ſatyram ſcribere, cum amicus quidam fingitur ſuperueniſſe, (quòd familiariter videtur illum admonere) veteres gloſſæ monitoris nomen indiderunt, illiq; ſtudet perſuadere, vt ſuſceptum conſilium ſcribendæ ſatyræ deponat. quod in tam corrupta ciuitate id genus ſcripti ſeuerum, & mordax nemo eſſet lecturus. cui reſpondens Perſius, tanti ſe facere ait Romano-

rum iudicium, quanti meras nugas. Itaq; velle se in instituto perseuerare; si quid forte possit publicis moribus prodesse; quos videt ita deprauatos, vt scripta tantum mollia, & effæminatissimè recitata probentur: Eoq; vitio maxime laborasse diuites, & senes; quos deceret laudabili exemplo, & vitæ innocentia alijs prælucere ad virtutẽ. Recitaturi enim pexam, recentemq; togam induunt; manus gemmatis annulis ornant; & de celsa Cathedra vocem effœminant; lasciuoq; gestu ita auditores afficiunt, vt in decoro corporis motu lumborum pruritum non dissimulet; atq; ad hunc finem in studijs maciem cõtrahant. & subinde multa alia huc pertinentia, confutatis interim leuibus quibusdam nugis, quæ pro harum ineptiarum defensione, à monitore proponuntur. est enim totus in hoc argumento, vsq; ad illum locum. Quis populi sermo? Atq; inde sex carminibus mirè exprimit adulatoris personam, palmam in poësi vni Neroni adiudicantis. statimq; proponit damna, ex tam corrupto iudicio èmergentia, verborumque obsoletorum sordes irridet. Et quoniam dixerat, scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber. Hinc à poetis transit ad oratores; qui vanitatem eandem in forum inuehebant; malebantque (dignitatis obliti) Isoptotis, Antithetis, Homeoteleutis, similibusq; Gorgianis inuentiunculis artes Iudicum delectare, quàm probationibus insistere. Tum monitor, cui propositum fuerat, partes poëtarum, nec etiam oratorum tueri; reuocat illum ad Poëtas, & præcipue Neronem designans, illum vnum dicit imperfectam antea Poëtices artem, omnibus numeris absoluisse. Itaque sine controuersia Virgilio præferendum esse;

idq; probare contẽdit propositis quibusdam Neronis rhitmicis carminibus. Quod iudicium belle exagitat Persius, ostenditque, nõ poeta solum, sed prorsus virum indignum. Quam loquendi libertatem admiratus monitor, proponit illi ad timorem, præsens aliquod periculum à Neronianis, nisi maledictis abstineat: quo monito fingit se commotum. sed statim ad ingenium rediens, liberrima indignatione percitus, non id sibi licere, quod olim licuit alijs multis; aperte profitetur, velle se hic in satyra sua infodere, (quando palam non licet loqui) quid Romæ viderit, idest Neronem, & quotquot ab eo sunt, tot Asinos esse. Postremo memor eius, quod ab initio proposuerat monitor neminẽ forè qui has satyras legeret, extrema cum primis contexens non dissimulat, quos prorsus nolit, quosq; cupiat sibi contingere lectores. ex hac breui summa aperte constat, hanc satyram vbiq; sibi cohærere, & semper idem argumentum vrgere; scribentium inquam ambitionem cum mollicie, & de scriptis iudicantium cum auaritia; adulationem taxãdo. Quod quia non aduerterunt quidam, nusquam hunc poetam consistere, & capripedis satyri more, huc illuc saltitrare falsò existimarunt. Vtq; hoc facilius de Persio persuadeant. communem legem statũnt satyricis, vt signata re obscurius, statim in aliud resiliant argumentum. Pugnat semper cum vitijs satyra, vt ijs profligatis, virtus in dominatu constituatur. vt discant homines (spretis futilibus) quę sunt solida bona sectari. Horum vtroq; telo sibi vtendum hoc primo carmine proponit Persius. Primum, primis verbis intentat; *O curas hominum*. Alterum sequentibus. *O quantum est in*

rebus

rebus inane. Hæc tamen ita accipi volo, vt non negẽ repræhensioni aliquando misceri irrisionem.

O CVRAS.

Paulus Aegineta lib. III. cap. de Amantibus, curam definit *esse animi affectum, ratiocinatione in motu laborioso occupata*. cui definitioni maxime respondet, *Illud Ennianum*

——curam'ue leuasco

Quæ nunc te coquit, & versat sub pectore fixa.

Et Luc. lib. 2.——curis animum mordacibus angit

& ille alter *Exuta curis pectora mordicis.*

& Mant. Nullaq; pax vitio rodentibus intima curis.

O QVANTVM EST IN REBVS INANE.

Dixit etiam *Lucretius inane rerum lib. I.*

Quod inane rerum libeat cohibere.

Senec. Epist. LXXXVI. Contra totius generis humani opiniones, mittenda vox erat, insanitis, erratis, stupetis ad superuacua. & de breuitate vitæ. Omnia licet, quæ vnquam, ingenia fulserunt in hoc vnum consentiãt; numquam satis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur. Lact. de origine erroris lib. & cap. II. Iuuat igitur velut in aliqua sublimi specula constitutus vnde vniuersi exaudire possint Persianum illud proclamare.

O curas hominum, ò quantum est in rebus inane.

Quæ loquitur *Palinurus apud Lucianum extremo sui nominis Dialogo*, mire huc transferri possunt, & quod item exclamat *Charon apud eundem non procul à fine Dialogi*, quem locum

habuit etiam in mente *Lipsius cap.III.lib.II. de constantia*, vbi dixit. *Et erecto quantum licet capite studia profanæ plebis despicio, & magnum hoc in rebus hominum inane.* non me fugit quid de hoc loco sentiat *Turnebus.* nec me cõtineo, quin hæc adscribam verba *Ioan. Pici Mirand. quæ sunt in Epistola prima, ad Ioan. Franc. ex fratre nepotem. Tenet me (Deum testor) aliquando extasis quasi, & stupor quidam, cum mecum inspicio studia hominum, aut, vt dixerim significantius meras insanias, nescio an cogitare potius, quam dolere, miserari an deplorare.*

QVIS.

Leget hæc? min' tu istud ais? nemo hercule nemo?
Vel duo, vel turpe, & miserabile. quare?

Actiua est hæc satyra, constat enim ex persona Persij, & monitoris cuiusdam sine nomine, vt iam dixi. Itaq; crebræ interrogationes huic loco tenebras offundunt; non enim facile expedias, quæ sint Persij, quæ Monitoris prima. *Quis leget hæc?* tribui potest Poëtæ hoc modo, vis ne videre curas hominum vanas? me vide, quia ea paro scribere, quæ nemo fortasse leget. vt habeat interrogatio vim indignantis potius quam admirantis. Sed melius fortasse sic. *Quis leget hæc?* quæ meditor scribere vtilia, & moribus profutura in tanto stultorum prouentu? apud quos in pretio sunt tantum mera deliramenta? quid si dicamus à poeta monitorem sic interrogari, vt se fingat laudis cupidum quod oblique tamẽ velit intelligi de Poëtastris? Sunt etiam qui velint poëtam indignatione commotum, secum ita loqui, neque quemquam secum verba facientem inducere ante illum locum.

Ri-

Rides ait? alij dicunt interrogationem esse monitoris. quibus subscribo. de modo tamen interrogandi, non omnibus idem est iudicium. Ego hoc fingi existimo. Cum Persius primum hoc carmen, secum (vt assolet) plus semel clara voce repeteret, tacitè superuenisse monitorem, illumq; tumidis verbis, & duabus præsertim exclamationibus, quæ non, nisi grauioribus rebus adhiberi solét auditis; cum sciret Romæ tunc carmina mollia tantum probari, Persio nec aduertenti, nec opinanti repente inclamasse. *Quis leget hæc?* Tũ poëtam quasi illa interrogatione territum, de improuiso respexisse admirantemq; dixisse, *Min' tu istud ais?* in quo non recessit à Drammatico decoro, quod in repétina, & huic simili interpellatione à Comicis seruari videmus: Apparet igitur interrogationem hanc monitoris ortam fuisse ex admiratione grauitatis primi carminis. Non quod Romanorum vitia auderet Persius Satyra taxare, vt existimauit interpres qui in Italos semper genuinum frangit; id enim ex vno illo carmine non potuit intelligere monitor; potuit quidem suspicare graue aliquid scripturum, quod eo nomine vno. Romanis minus futurum esset gratum, propter deprauatũ Neronis, & Procerum Iudicium. Quod dixi fingendum esse de Persij admonitore, re ipsa contigit *Guil. Budæo finem operis de Asse vrgenti, nam cum, regnante Ludouico XII. parum abesset, quin omnes bonæ artes, facto agmine ex Gallia commigrarent, locúsq; esset in Regia Aula Ambitioni tantum, & adulationi: illum quodam die operi suo valde intentum offendit Franciscus Deloinus vnus ex Regijs consiliarijs, & pone stans cum vidisset, quæ scriberet, Ohe (inquit) odiose facis, & re-*

fractarie, qui, tempori, & fortunæ animum accomodare non labores.

NEMO HERCVLE.

Verba monitoris sententiam suam sic continuantis. *Quis leget hæc? nemo hercule.* per quod vult ostendere inanē operam sumpturum. vt.n. nullo audituro dicendum non esse ait *Sen. Epist. XXIX.* Sic ego subiungo nullo lecturo non esse scribendum. ne verè illud vsurpetur.

Meuius, & Nemo iunxerunt fœdera; namq;
Meuius ipse facit carmina, Nemo legit.

Quod in me etiam fortasse conferri poterit, qui hæc scribo, quæ nemo leget. sordescunt.n. iam pridem plerisq; omnibus humaniora hæc studia, ac si fas esset, causam non reticerem: sed non fas

NEMO.

Interrogatio poëtæ, fictæ admirationis plena; simulat.n. se vanis poëtis similem: quasi dicat, ain tu neminem hæc mea scripta lecturum?

VEL DVO, VEL NEMO TVRPE, ET MISERABILE; QVARE.

Non minor in hoc versu obscuritas, quam in superiori. Nam distingui potest post *Vel.* vt dicturus esset Monitor, *vel tres;* & statim illius loco subiungit: *Nemo*, vt rursus confirmaret quod dixerat. *Nemo hercule.* Posset etiam fortasse hoc tertium, *Nemo* ascribi Persio, vt, cum dicturus esset amicus monitor vel tres. Ille ira percitus dixerit, *Nemo*. Si distinctionem post, *Vel.* probamus, videri etiam posset, *Vel.* duo: *Vel.* dici à Persio, non om-

omnino monitori assentiente, nullum sibi fore lectorem; videri enim sibi sperare posse habiturum saltem duos, dicturusq; erat etiam tres. Sed amicus id præsentiens, statim anteuertendo dixit. Nemo. Sed omnium optime *Barthol. Fontius.* totum hoc carmen tribuit monitori, præter quare, vt sit constans asseueratio, Persium nullum lectorem habiturum, vel duo, vel (inquit) nemo tua hæc leget. quod sane turpe est, & miserabile. Turpe duos tantum; Miserabile si neminem. Quamquam is aliter sensit de quo hæc scripsit *Sen. Epist. VII.* Bene & ille quisquis fuit (ambigitur enim de Auctore) cum quæreretur ab illo, quò tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos peruenturæ. *satis sunt inquit mihi pauci, satis est vnus: satis est nullus.*

QVARE.

Non interrogat quare nemo satyras suas sit lecturus; sed quare id videatur monitori turpe, & miserabile. Et merito. quæ enim turpitudo illis displicere, quibus turpissimum sit placere? Vel. quæ miseria illorum plausum non meruisse, qui nulla recta ratione, sed deprauata opinione, de rebus iudicant? & æra lupinis nesciunt distinguere? Quod si Turpe, & Miserabile, verba fuerint poëtę. quod non probo; Quare? dicetur à monitore quasi illum consolaturo.

NE MIHI.

Polydamas, & Troiades Labeonem
Prætulerint ———

Mitto veteres interpretes, venio ad vnum ex recentioribur acrem illum nominis Itali hostem. qui ad huius loci tenebras illustrandas præit nobis hac face. *Est iterum Ironi-*

ca indignatio. Nero, & Romani effæminatissimi ne præferant mihi vanum illum Labeonem, non possum, non volo ferre illum mihi præferri. hæc ille: Ego verò nego Persium indignari; pernego dolere Labeonem sibi præferri, immo contendo ratiocinari, de eo non esse dolendum; quia nugatorium sit Romanorum iudicium; Quod si istum ipsum interpretem audias, oportebit vocem, *Nugæ*, & quæ sequuntur vsque ad *Nolo*; tribuere monitori, vt vere ille tribuit; quo nihil absurdius, nihil magis alienum à mente Persij excogitari potuit. Ego sic explicò. Verba sunt poëtæ hoc modo, non video amice monitor, quare turpe, & miserabile dicas, neminem meas satyras lecturum; nisi forte in eo turpitudinem, & miseriam agnoscis, quod timeas ne Princeps ineptissimus, & illi similes Proceres Labeonem mihi prætulerint. Quasi verò ille sit alter Polydamas; & isti non quibusuis Troiadibus molliores. quorum ego iudicium tanti facio, quanti meras nugas, tuq; si sapies idem feceris. Nam quod quidam Polydamantis nomine turpitudinis, & infamiæ causa Neronem significari existimant, numquam id mihi persuaserint; Video enim à scriptoribus honorificam eius fieri mentionem. *Dictys* quidem, & *Dares* non rarò illum inter eos numerant, qui consilio boni, & manu strenui erant. ex quo, illorum error coarguitur, qui imbellem illum, & nugacem, fuisse dicunt. Atq; ea ratione, hic, pro Nerone, futili, & nullius pretij homine poni: Vt verò Polydamantis repræhensionem metuisse Hectorem constat, sic verum est eundē Hectorem voluisse illum in grauioribus periculis sæpe habere comitem, fortiterq; pugnantem, occisum fuisse ab Aiace

Te-

Telemonio, cũ interfecto Memnone, voluisset prę̃liũ renouare. Porro, quod ad eius consilium attinet, vnus ex ijs fuit, qui auctores semper fuerunt reddendæ Helenæ, confirmant, quos dixi auctores, *Dictys*, & *Dares*. *&* *Oenone Ouidiana.*

Quæ sisit Danais reddenda, vel Hectora fratrem
Vel cum Deiphobo, Polydamanta roga.

Semel etiam missus fuit legatus ad Agmen. Hector denique, Aeneas, Antenor de summis rebus deliberantes consiliorum omnium suorum participem habuerunt. Quæ omnia cum vera sint, quomodo per dedecus, & infamiam Polydamantis nomine Neronem intelligemus? Polydamantis meminit *Arist. III. Ethic. cap. IIX. & Cic. Epist. V. lib. II. & prima sept. ad Att.*

N E.

Dubitandi non prohibendi vim habet. sic *Virg.*

Iustitiæ ne prius mirer, belli ne laborem?

Britan. Plautius, & vetus editio Manutiana legunt, Nę, contra germanum Poëtæ sensum.

TROIADES.

Non minus molliciem, quam fastum Procerum notat; mollic iem, quòd vtitur voce fœminea; fastũ ꝙ cum sint, effœminatissimis volunt tamen à fortissimis Troianis prædicari originẽ traxisse; quod vita, & moribus egregie mentiuntur: in quo est eadem Ironia satyrico aculeo armata. Videndus hoc loco *Casaub.* qui docet, *Troiades etiam potuisse poni pro virili sexu, & respexisse Persium ad nobilium Romanorum*

superbiam, qui vt distinguerentur ab aduentitijs ciuibus Troianam originem affectabant. Iuenn. Sat. I.

——iubet à præcone vocari
Ipsos Troiugenas——

Et Sat. IIX. At vos Troiugenæ, vobis ignoscitis.

Ambitioso non tam iocundum est, multos post se videre, quam grauem aliquem ante se; Itaq; cum in honorum mensura nesciant quiescere, necesse est, eorum æstu semper ferri.

TROIADES.

Necessitas carminis fecit vocem quadri syllabam, alias est trisyllaba. *Virg.*

At procul in sola secreta Troades acta.

Et Statius Achil. libro I.

Inte spectabunt lachrimis, planctuq; decoro
Troades, optabuntq; tuis dare colla lacertis.

Cornutus putat hac voce intelligi, tantum poëtas nobiliores.

TVRBIDA ROMA.

Fatuis, & turbidis moribus corrupta; Ideò nec verè, nec sincerè de scriptis iudicare potest. *Plautus in Trin. Nihil ego istos moror fatuos mores, & turbidos.* Vel turbida, confusa, qualem disertè describit *Franc. Petr. lib. II. De secreto curarum conflitu. his verbis. Quis vitæ meæ tædia; & quotidianum fastidium sufficienter exprimat? Molestissimam turbulentissimamq; vrbem, quis verbis æquet, quæ passim nauseam concitant? graue olentes semitas; permixtas rabidis canibus obscænas sues; & rotarum muros quatientium stridorem; aut transuersas*

obli-

obliquis itineribus quadrigas;tam diuersas hominum species;tot horrenda mendicantium spectacula;tot diuitum furores; illos mæstitia defixos;hos gaudio,lasciuiaq; fluitantes ; tam denique discordantes animos; artesq; tam varias; tantum confusis vocibus clamorem,& populi inter se arietantis concursum. Quæ omnia,& sensus melioribus assuetos conficiunt, & generosis animis eripiunt quietem , & studia bonarum artium interpellant. Ita me Deus ex hoc naufragio puppe liberet illæsa, vt ego sæpe circũspiciens, in infernum viuens descendisse mihi videor. I, nunc, & boni aliquid tecum age. I, nunc, & honestis cogitationibus incumbe. I,nunc,& versus tecum compone decoros. hæc *Petrar.* quibus nec verius, nec elegantius turbidam Romam potuit describere. Verè igitur multis ante sæculis dixerat *Sophocl.confusione tetrius nullum esse malum.& Amphides,referente Stobeo,Vrbem esse theatrum infelicitate scatens.*

E L E V E T.

*Non altum faciat laudando,vt putat Cornutus;non annichilet,*vt alius, sed leuius ducat, & minoris ponderis existimet. qua significatione dicimus eleuare suspitionẽ; offensiones; ægritudinem;mala,& alia huiusmodi. Ductum à Trutina,in qua quæ leuiora sunt eleuantur.

A C C E D A S.

Docte aduertit *Io:Tornarup. Persium allusisse ad Morem discessionum in Senatu,*nam qui sentẽtijs dissidebant, in contrarias partes vocabantur, his uerbis. *Festo referente. Qui hoc censetis illuc transite, quia alia omnia in hanc partem.* & tunc dicebantur pedibus sententiam ferre. neq; tamen qui ita sententiam ferrebant omnes pedarij uocabantur,

sed

sed ij tantum, quibus ius dicendæ sententiæ non erat. De quibus celebratur trimeter ille *Laberianus.*

Caput sine lingua, Pedaria est sententia.

hos refert *Fest. Lucilium vocasse agipedes.* quia taciti transeundo ad eum, cuius sententiam probabant, quid sentirēt indicabant *Vide etiam A. Gel. lib. 3. cap. XIIX.*

EXAMEN IMPROBVM.

Quod esset improbum, si, cum turbida Roma illud castigares; sic n. non in æquo consisteret. Improbo examini, opponitur æquatum; quale Ioui tribuit *Poeta lib. XII.*

Iupiter ipse suas æquato examine lances
Sustinet ———

Vbi Seruius, Examen, est proprie filum quo trutina regitur; vbi lego, est propriē stylum; vt significet columellam illam, quæ media erigitur inter foramen illud oblongam fenestellam rectè dixeris, vel ansam, quod inquam examen in bilance, est in medio scapi; in statera ad illud caput vnde propēdent vncinuli, quibus, quæ sunt expendenda præhensantur; quod cum totum in fenestella latet, æquatum dicitur, & tunc lanx vtraq; exequatur, & dicitur Aequilibrium. in statera vero, quæ habet scapum punctis distinctum, certo puncto consistit Aequipondium, vel appendiculum. Adiuuat coniecturam in emendando Seruio, verbum quo vtitur; Trutina regitur. non enim regere est sustinere; quod facit filum in trutina; sed est moderari, & regere imperio aliquid.

——— *O qui res hominumq; Deum;*
Aeternis regis imperijs ———

Et

Et Ouid. de Art. Arte citæ veloq; rates, remiq; reguntur
Arte leuis currus, arte regendus Amor.

Examen porro quod exposui pro Columella, quæ media est in scapi ansula, elegãter vir doctus vocauit Amussim; quę Festo est regula fabrorum. Sosipatro autem, tabula rubricata, quæ dimittitur examinandi operis gratia, an rectum opus surgat. Vnde examussim dicitur examinatè ad regulã. à quo deduxit *Plaut. in Milite. Emussitatam indolem*, pro examinata. *Nonius. Hanc vero ipsam, Amussim*, idem ille vir doctus, quem modo dicebam non consistentẽ in æquo, delirare & inertem dixit

Deliret trutina, ne quid Amussis iners

recte deliret, idest à recto recedat, à lira agrorum fossa recta. Iners autem quod delirando, arti non inseruiat, cuius proprium est, æquo pondere res examinare. quæ duo vitia notat *Horat. in poeta inepto. Epistola & lib. II.*

Prætulerim scriptor delinis inersq; videri

Verba veteris interpretis, quibus declarat, quid sit castigare examen, quia videri poterãt obscura, declarat, & docte emẽdat *Casaub.* quem si videbis non ludes operam. Et quia loquimur de regenda trutinæ libratione, visum fuit apponere versus istos *Tibulli* sane perelegantes, & rem mire exprimentes *ad Messalam lib. IV.*

Iusta pari premit veluti cum pondere libra
Prona, nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa
Qualis inæquatum si quando onus vrget vtrinq;
Instabilis natat alterno depressior orbe.

Omnia dicebat *Simocatus æqua lãce appẽdi posse præter amorem,*

rem, quē negabat habere lances æquilibrio pares. *De Trutina Arist. quæst. XX. quæst. mecanicarum & Vitruu. cap. IIX. lib. X.* vbi etiam nonnulla *Guilielmus Philandrus in suis adnotationibus.*

NEC TE QVAESIVERIS EXTRA.

Stoica sententia. & hoc ait; caue ne te aliorum auferat iudicium neue alieno sensu, de rebus statuas, sed tuo vtere, & vt ait *Senec. Viam bonam per te æstima non turba vestigiorum.* neq; vt vulgo nunc fit, vt Neroni vanissimisque Proceribus placeas iudicium tuum cum corruptissimo illorum iudicio coniungas, vrbe adulationis, & auaritiæ plenissima. *Idem Seneca cap. primo de vita beata. Nulla res maioribus nos malis implicat, quam quod ad rumorem componimur; optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus*, & paulò post, *Versat nos, & præcipitat per manus traditus error, alienis perimus exemplis, sanabimur si modo separemur à cætu.* Adijci, & illud potest. Hæc pars maior esse uidetur, ideò est peior, argumentum pessimi turba est. *Itaq; Nonius de Doctorum indagine. Memorabilis scientia paucorum numerum pro bonis ponebat, multos contrà, malos appellabat*, à quibus quia laudari turpe est; *Antisthenes cuidam sibi dicenti, multi te laudant. Quid enim ait mali feci?* Quare idem *Sen. De moribus. Maximum in eo vitium est, qui non melioribus vult placere, sed pluribus, nondum es fœlix si te turba non deserit; Et alibi. Qui Prudentiam sequi desiderat, is, dignitatem rebus, non ex opinione multorum, sed ex earum natura constituet. Tiberius Gracchus Tr. Pleb.* aduersus M. Albutium collegam, ut est apud *Liuium lib. IX.*

Dec. IV. dixit suo quemq; iudicio, res probare, & improbare debere, non pendere ex alterius vultu, ac nutu; nec alieni momẽtis animi circumagi. Franc. etiam Petr. De secreto cue. confl. D. Augustinum hæc facit loqui. O te omnium infelicem, si ad veritatis inquisitionem, per Vulgi deliramenta contendis. aut cæcis ducibus ad lucem te peruenturũ esse contendis. Itaq; idem *Epist. prima. Quomodo autem multis placerem, cui placere paucis semper studium fuit?* merito igitur præcipiebat *Pythag. Viam publicam deserendam, & per semitas ingrediendum.* Frustra huc quidam referunt vetus illud. *Cognosce te ipsum.* Quid. n. opus est arrogantiam vitare, vel bona sua cognoscere, illi, qui sit ex suo sensu, non ex communi, eodemque nugatorio iudicio de scriptis alienis iudicaturus? Dictum.n. illud ad hæc duo quæ dixi tantum pertinere, satis aperte iudicauit *Cic. Epist. IV. lib. III. ad Quintum fratrem* his verbis. *Cessator esse noli, & illud γνῶθι σεαυτὸν noli putare ad arrogãtiam minuendam, solum esse dictum, verum etiam vt bona nostra norimus. Quamquam Sen. Consol. ad Martiam* vult, hoc ad mortis cogitationem pertinere. *Macrob. vero in Som. Scip.* vtroq; fortasse melius dicit *Apol. verba illa respõdisse cuidam consulenti de itinere ad Beatitatem*, vt illo admoneremur, sub inde nobis esse originis natalisq; nostri principia, atq; exordia prima respicienda, vt nobilitatis nostræ admoniti virtutem indueremus. *Menandrus vtilius futurum dixit, si diceretur, cognosce alios homines.* Porro quod attinet ad aureum hoc dictum, *Scio Ludium apud Auson.* dubitare cuius nam sit, *Scio Chilonem ibidem illud sibi vindicare aperte; Scio Laertium dicere nonnullos Thaleti adscribere*, sed nec me latet

Plat.

Plat. in Primo Alcib. Delphico oraculo tribuere, idem facere *Cic. V. de Finibus; Et Plutarc. in consolat. ad Apol.* rursusq; multo expressius. De vtilitate capienda ab inimicis, & *Iuuenalem Sat. II.*

NAM ROMAE QVIS NON?

Aposiopesis, quæ fit, cum quædam supprimimus, quæ aut turpia, aut inuidiosa, aut alioqui grauia dictu sunt; eaq; iudicio auditoris, vel lectoris permittimus; & sic tacendo plura loquimur; vt hoc loco Persius. Qui omne genus conuitiorum in Neronem, Neronianosq; conceperat; sed metus. impetum animi repressit. qui, cum absit à lectore, liberum erit illi, quæ videbuntur subijcere. Liberum. n. est de illis loqui, quos mors gratiæ iampridem, & odio exemit *Tacit. IV. Annal.* idest vt ipsemet interpretatur *quos neq; quisquam odit, neq; eis plus æquo fauet.*

AH SI FAS DICERE.

Particula, Ah, grauioribus animi commotionibus adhiberi solet; vt indignationi, dolori, fletui. Hic animi est æstuantis, & grauiter ferentis, ea sibi dicere non licere, quę plerisq; omnibus, vel etiam vetulis. (hinc maxima vis indignationis erumpit) cum plausu, & commendacione licet facere. Et est collatio minorum. Alij legunt *At si.* Quidam *Ac si.* Quod ferendum erit si hæc verba tribuemus amico monitori; vt cum audiuisset Persium cum stomacho dicentem. *Nam Romæ quis non*, subiungit ille, tam aperte hæc loqueris. Ac si, pro, perinde ac si fas esset, & nullum tibi ex hac tua libertate loquendi immineret periculum. Sed omnino melior prior expositio.

SED

SED FAS.

Aestum animi non diutius comprimens, redit ad consilium scribendi Satyram. imitatur ingenium Pythag. qui dicebat, *non tam difficile esse ipsum peccare, quam peccantem alium non redarguere.*

TVNC CVM AD CANITIEM.

Ratio quæ fluctuãtem animum impulit. Ego mihi à scribenda satyra temperare non possum; cum ad vanitatem Romanorum,& maximè senum animum conuerto. *Cato senior nihil fædius esse dicebat, quam senectutis malis addere turpitudinem, & improbæ vitæ dedecus.* Siquidem cum senectutem esse oporteat florem temperantiæ, & prudentiæ, mali mores in ea solum ridendo splendent. Hunc locũ dum vult ordinare *Ioan.Brit.* prorsus cõfundit.& peruertit. ait.n. *Tunc, Tunc, Tunc inquam. Scribimus inclusi,* quasi vero scribimus inclusi. ad hanc sententiam pertineat. Ac non sit principium distributionis; qua transit ad repræhensionem poëtarum, & Oratorum.

NOSTRVM ISTVD
VIVERE TRISTE.

Vt liberius posset in alios inuehi, se eiusdẽ culpæ affinem facit. ideo dixit nostrum. quasi dicat Nostrum. qui curios simulamus, in ipsis Bacchanalibus. *At Cic.* qui Epicureæ beatitatis nolebat esse particeps dixit. *Beate viuere vestrum. Quintil. lib. IX. cap. III. de hoc loco ita scripsit. Et mutatione partium fit figura vt in Satyra: Et nostrum istud viuere triste Aspexi.* cum infinito verbo vsus sit, pro appellatione; nostram.n. vitam vult intelligi.

NV-

NVCIBVS RELICTIS.

Nucibus olim priscos lusisse, sicut nos etiam in pueritia nostra, certissimum est. Quare nuces relinquere, est pueriles curas, animi laxamenta omittere, quasiq; nouum vitę genus ingredi. qui lusus tamen non omni anni tempore, sed saturnalibus tantum permittebatur; extra id tempus si lusitabant furtim id faciebant. *Alex. Neap. vt possit nunc quosdam pudere educationis puerorum, quibus vulgo esse aleatoribus conceditur*. Quæ sint nuces ocellatæ quibus interdum laxandi animi causa cum pueris minutis ludebat. Augustus. *Docet Alex. Neap. cap. XXI. lib. III.* Potest etiam huc respexisse Persius, & magis erit Satyricum, ad morem spargendarum nucum infamis notæ puerorum, vt significet Curios illos simulatos, ab ea, quam à pueris contraxerant nequitia; ne sparsis quidem nucibus recessisse, sed ad canitiem vsq; conseruasse. Hanc expositionem si quis probabit poterit videre quæ scripsit *M. Ant. Mur. ad illud Catul. De nuptijs Iuliæ, & Manlij.*

Neu nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.

Porro nuces relinquere inter adagia refertur, ad quam formam hęc etiam pertinent. *Nunquam à nucibus recedere. Redire ad nuces. Nuces abijcere. Nuces intermittere. Nucibus indulgere. Nuces repetere*, & id genus alia.

CVM SAPIMVS PATRVOS.

Ironicôs. Cum intercutibus vitijs madentes, volumus extrorsum videri viuere ad;

Ro-

——— Romuli
Præscriptum, & intonsi Catonis
Auspicijs, veterumq; norma.

In quos conuenit illud ipsius *Catonis. quod est apud Plutarcum lucullo: Tacebisne hodie, diues vt Crassus, viuens vt Lucullus, loquens vt cato.*

TVNC TVNC.

Cum hæc cogito, tunc, tunc, inquam, mihi fas esse persuadeo satyram scribere. quis.n. se contineat, qui viderit iā pridem à nobis abijsse pueritiam, sed puerilitatem remansisse, quodque peius est, auctoritatem habere senum, vitia puerorum? huc pertinet dictum *Bathonis. Quid enim per Mineruam obsecro differunt mores adolescentum, & imberbium, à moribus hispidorum, & ætatis procie&ta?* qui vt ait *Bud. lib. V. de asse: turpium facinorum exempla prodere non erubescunt.* Omnino contra responsum *Socratis;* qui rogatus, quid deberent senes olere, *probitatem respondit.* verum est.n. quod dixit nutrix apud *Senec. in Hippolyto.*

——— propria describit Deus
Officia, & æuum per suos diuidit gradus
Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.

Vide. epist. 6. Franc. Pet. ad Thomam. Messan:

IGNOSCITE NOLO.

Varie hic locus explicari potest, vel enim hæc est mens Poetæ, nolo scilicet Satyram scribere, sed quia sum petulanti splene cachinno cogor scribere, proinde ignoscite; vel, nolo, subaudi scribere, vel ridere vt referatur ad illud, Ah si

fas dicere. vel, ignosite si ineptias, & vanitatem retexero, & animo fluctuans statim subiungit, nolo scilicet retegere, quia non fas libere loqui; vel nolo, referatur ad id quod sequitur. Quid faciam? vt videatur dubitare, eligat ne, tacere, an scribere. vel Persio petenti vt sibi ignoscatur si Satyram scripserit respondet Monitor nolo, vt vnus pro pluribus respondeat. vel, vt putat vir doctus, scripsit Persius nolunt scilicet ignoscere. quamquam est qui neget, inimo perneget, monitorem vllum hucusque Persio astitisse, sed ipsum mire fluctuantem animo, & consilij ancipitem debe- ret nec ne Satyram scribere, secum semper loqui; quodtamen falsum esse, prima illa interrogatio. Min' tu istud ais? satis aperte conuincit.

QVID. FACIAM.

Communicatio Ironica, negata sibi venia scribendæ Satyræ. *Sic. Cic. ad Patum Papir: quid igitur faciam? te consulo.*

SED SVM PETVLANTI SPLE CACHINO.

Vt suam vim habeat aduersans particula. *Sed*; fingendum est monitorem, in aurem Persij interrogantis. Quid faciam', insusurasse Tace. aut ori admoto digito silentium imperasse. nisi malimus cum doctiss. *Casaubono lectori supplendum reliquisse*, quod apud *Horatium expressum habemus* in simili deliberatione initio secundæ Satyræ. Quiescas. tum Persius. *Sed sum* (inquit) *petulanti, cachinno; splene.* mea est hæc sententia; quam spero probatam iri doctis. nā quod expositores, quotquot vidi τὸ Cachinno nominandi

casum

casum esse dicunt, nunquam id mihi persuaserint; non solum propter nominis insolentiam; sed multo magis, quòd Aepitheton: Petulanti, non videtur spleni posse conuenire; quæ.n.in illo viscere petulantiam? nisi forte in eo dicamus (vt quidam ridicule existimat) quod iusto maius spacium petat. sic.n. dici poterat petulans scorpius, antequam cæli plus iustam partem relinqueret. petulans Tytius

——— per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur———

Sed audiamus *Festum. Petulans appellatur, qui proteruo impetu, & crebro petat lædendi gratia. Qui impetus; aut lingua, aut manu fit. Sen. Epist. LXXXIII. vbi de Ebrietate; Tunc petulans, non linguam, non manum continet.* Ad quod respexit *Auson. de Amica.*

Pulchra, procax, petulante dextra.

Tribuat quis si potest hunc lędendi impetum spleni. tribuet quidem Satyrico cachinno; tribuet Nonariæ, quæ Cynico Barbam vellebat. tribuet verbis. *Ouid.*

Quin etiam & possem verbis petulantibus vti.

Ex eo confirmatur sententia mea, quòd vbiq; petulans, & procax pro eodem ponuntur. vt.n. à duobus verbis idem significantibus deriuantur, sic deriuata eiusdem sunt significationis. Verba Sunt. Peto. & Proco. *Cic. tertio de Rep. referente Nonio. Itaq; à petendo petulantia, à procando, procacitas nominata est.*. Videndus *Donatus* exponens verba illa in *Hecyra. Maligna multo, & magis procax facta est illico,* & *Seru. Ad illud Virg. penitusq; procacibus austris. Acron. exponens illud Horatij.*

Sed ne relictis musa procax iocis.

Procax. ait petulans. & alius petulans, importuna; & alius vltra quam licet petulans. Sed, & procacitas nihil aliud est, quam licentia conuitiorum, quod idem dicitur de petulãtia *Cic. pro Cal. Maledictio si iactetur petulantius conuitium nominatur; Unde linguæ petulantia, conuitia petulantiæ. Cic. solutum existimatur alteri maledicere; tamen cauendum est ne in petulantiam incidas*, idest ne nimia conuitiorum licentia vtaris. quod procacitatis esse docui. Verum est igitur procacem, & petulantem idem esse. Quare cum risus dicatur procax, multo quidem dicitur magis Cachinnus. *Pontanus*.

Sed risus teneræ procax puellæ

Verum tollit prorsus omnem dubitationem *Angel. Polit. Phaleutio quarto in Mabilium*, vbi apertissime hunc locum expressit.

Nam quis te rogo sic inelegantem
Insulsum, illepidum, videns, ineptum
Versus scribere, prorsus infacetos,
Non centum cupiat sibi esse Nasos?
Centum Rhinocerotas; atq; Barros?
Roncos, auriculas, Ciconiasq;
Cum splene, & petulantibus cachinnis?

Satis mihi videor ostendisse petulantiam nullo modo spleni, sed quam optime cachinno conuenire. Ex quo clare apparet τὸ Cachinno, non esse nominãdi casum, sed ablat. sicut. n. dicimus, sum forti animo, tuis monitis; sum tenui valetudine assiduis curis. sic cum petulanti cachinno splene, idest vt

dicam

dicam cum *Apuleio cachinnabili risu abundo.* quod illis procliuius contigit, qui plurimi sunt sanguinis. his.n. facile cor dilatatur, atq; ideo in risum prorumpunt. contrà vero exangues subtristes sunt, & propterea minus ad risum proni. *Scripsit Plutarc. Ligurgum risui tamquam Deo statuam erexisse. Lacedemoniosque ad hilaritatem iocumque inuitasse;* Asserit etiam *Arist. IV. Ethic. cap. IIX. ad vitam degendam risum esse necessarium. quem dicebat Epitectus neq; multum esse debere, neq; ob multa, neq; solutum.* & merito, si enim sit temperatus, calorem innatum auget, qui instrumentum est conseruandæ bonæ valetudinis. Cachinnum non de risu tantum sed de sono vehementiore vetustatem dici voluisse auctor est *Nonius.* quod probat exemplo Accij, quem *Catullus* videtur imitatus in nuptijs *Pelei, & Thetidos*, vbi cachinnos vndis maris tenui murmure fluctuantibus tribuit.

Quæ tarde primum clementi murmure pulsæ
Procedunt: leuiterq; sonant plangore cachinni

Cachinnum quassare dixit *Fulgentius* de musa quæ ridens caput mouebat. inquit enim *Tum illa cachinnum quassans, coliso, bis, terq; pulsu palmulæ.* nescis Fulgenti rudis accola Pieridum, quantum satyram matronæ reformident. ad finem præfationis. Succurrit *Ciceronem IV. Tusc.* à verbo cachinnor verbale deduxisse. *Vt ridere (ait) concessum sit, vituperatur tamen cachinnatio;* quam interpretatur esse effusionem in lætitia. quare, vt intemperanti illam tribuit *Apronio lib. III. Action. II. in C. Verrem. Ridere inquit conuiuæ, cachinnari ipse Apronius.* contra præceptum *Senecæ*

dicentis. risu debere esse sine cachinno, vocem sine clamore.

SPLENE.

In quo dixerunt nonnulli, sedem esse lætitiæ; vt in corde pauoris, in felle iracundiæ, in iecinore libidinis. quod vtrum verum sit negat *Lactantiu hominem liquido peruidere posse. cap. XIV. De Opif. Dei, Vincentius Madius parte tertia de ridiculis, docet ex Arist. risum, vt in subiecto esse in animo, vt in organo in corde;* quod confirmat ex eo, *quia omnes ex risu sibi cor commoueri sentiunt. Alexander Aphrod. prob. CXXXVI. asserit ex accidenti non propriè, risus causam esse in splene, nam si is valeat trahit* (inquit) *ex iecore fæcosum, & malenchonicum omnem humorem; quo fit, vt cum purus defæcatusq; sanguis, tum per vniuersum corpus, tum in cerebrum permeet animam oblectet, atq; exhilaret, & in tranquilitatem ducat, & ita risus ab ea moueatur.* id autem verum esse ex eo apparet, quod, quibus vitiatus est splen, magnopere tristes esse solent. vitiatur autem teste *Arist. De partibus anim. cap. VII. quoties plus excrementi in illum duertit, quam possit excoquere, quibus autem hoc accidit Lienosi dicuntur, vel lienici. quibus mederi aquam, in qua candens ferrum subinde fuerit extinctum,* scribit *Celsus lib. IV. cap. IX. & ex eo probat, quod animaduersum sit, animalia apud fabros ferrarios educata exiguos habere Lienes.* de hoc viscere multa varijs locis *Plin.* inter quæ non fuit consilium prætermittere, quod scripsit *lib. VII. cap. II. Pyrrhi regis pollicem in dextro pede solo tactu huius visceris morbo laborantes curasse, eumq; ipsum pollicem cum reliquo corpore cremari non potuisse. Erisistrati* opinionem existimantis, *naturam*

turam frustra tribuisse homini splenem, confutat Galen. lib. IV. cap. XV. De vsu Part. Sed multo ante illum *Plato asseruit viscus hoc non frustra iecinori esse finitimum, quod participatis haustibus illum releuet, ac sincerum præstet. Apul. De illius Philosophi dogmate.*

Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo, pexusq; togaq; recenti
Et natalitia tandem cum Sardonyce albus,
Sede legens celsa, liquido cum plasmate guttur
Mobile colluerit, patranti fractus ocello,
Hic, neq; more probo videas, nec voce serena,
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbrum
Intrant, & tremulo scalpuntur vbi intima versu.

Hic incipit serio inuehi in scribentium ineptias; & reuertitur ad illud, *O curas hominum*. Scribimus inquit tam poëtæ, quam Oratores ambitioni potius nostræ, quam publicæ vtilitati seruientes. nam finem scriptionis nostræ popularem auram statuimus; quam vt aucupemur, non solum inflata, & turgida pronuntiatione scripta nostra recitamus, sed pexi, recenti toga induimur; manus annulis ornamus; ceruicem molli inflexione torquemus; oculos libidine difluentes prænobis ferimus, cum interim mollicie hac nostra, & effœminato motu titilantes Romani, non se continent, à turpi, & obscænæ voluptatis pleno corporis motu. ad libertatem vero criminationis; ineptias sibi cum alijs communes facit.

INCLVSI.

Quintil.lib.X.cap.III. Deniq; vt semel, quod est potißimum dicam, secretum, atq; liberum arbitris locum, & quum altissimũ silentium scribentibus maxime conuenire, nemo dubitauerit. Et paulò post. *Demosthenes melius, qui se in locum, ex quo nulla exaudiri vox, nihilq; prospici posset recondebat; ne aliud agere mentem cogerent oculi. Plinius secundus lib.II.Epist.ad Cominum. Studia altissimus iste secessus adfatim suggerit. Tacitus Dialogo de Oratoribus* huic necessitati tantum adstringit poëtas. Adijce(ait) *quod poetis, si modo dignum aliquid elaborasse, & efficere velint, relinquenda est consuetudo amicorum, & iucunditas vrbis, deßerenda cætera officia; atque vt ipsi dicunt, in nemora, & lucos; id est solitudinem recedendum est. Quare Ioan. Picus,* præfert solertiam, *& ingenij acumen Laurentij Medicis, Danti, & Petrarcæ;* quod ille occupatiss. illi maxime otiosi scripserint. Extant enim hæc illius verba quadam ad eundem Laurentium Epistolam. *Adde quod illi suas poeses,* (loquitur de illis quomodo dicebam) *in secessibus, in vmbra, in summa suorum studiorum tranquilitate; tu tuas inter tumultus; curiæ strepitus; fori clamores; maximas curas; turbulentissimas tempestates occupatissimus cecinisti.*

GRANDE ALIQVID.

Tumidum, inflatum. quale principium illius circumforanei.

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

Ouid.I.De Remedio amoris. Grande sonant Tragici. Verborum granditatem laudat. *Cic.in Demosthene de claris Orat.*

PVLMO ANIMAE.

Non prælargus animæ, vt quidam male; sed quo anima attrahitur, & remittitur. *Sic Virg.IX.* quasi pulmonem definiens.

Spiramenta animæ letali vulnere rupit.

Et *Lucret.lib.I.De sacrificio Aruntis vatis*

———*pulmonis anheli, fibra latet.*

Claud.etiam lib.II. De lacero Ruffini cadauere

———*hic cordis fibras, hic pandit anhelas*
Pulmonis latebras———

Cic.II. De diuinatione. Aspera arteria excipit animam, eam quæ ducta est spiritu, eamque à pulmonibus respirat, ac reddit. Propter quinque visceris illius lobos pulmonibus numero multitudinis dixit. *Sicut II. de natura Deorum. Primum à pulmonibus arteria, vsque ad os intimum pertinet. Arist. de partibus Animal.libro III.cap.VI. Pulmo igitur* (ait) *spirandi officio delegatus est, qui originem quidem sui motus recipit à corde, sed sua tum amplitudine, tum inanitate aditum spiritui patefacit.* Cum enim attollitur influit spiritus, cum contrahitur effluit. Qua continua viciſſitudine cordis nimius calor temperatur; quare quæ animalia carent ſanguine, aut perexiguum habent, cũ non egeant præcordiorum refrigeratione pulmonem non habent. de quo *Gal.de vsu Partium lib.VI.& sept. Plin. esse ait officinam spiritus humani quæ flanti, respiranti, loquenti, clamanti inseruit. Apul.de Dogmate Plat. per pulmonis speracula, viuacitatem dicit transferri per corpus,* & multa alia de quo, & *Lactant. De opif.Dei. Itemq; Rhodog.cap.XV.lib.IV.Antiq.lect.*

PRAE-

PRAELARGVS ANHELET.

Quod tanto spiritu pronuncietur, vt pulmo, quãuis prælargus ipsa recitatione defatigetur contra recitantis Decorum. *Cic.II. de Orat. Nolo verba exire inflata, & quasi anhelata grauius.* *Iuuen. Sat.VII.* iecur pro pulmone vsurpauit.

Rumpe miser tensum iecur. ——

Pulmonem inflare, quandoq; est fastu quodam intumescere; sumptum à follibus, qui flatu recepto turgent. *Poeta noster III. Sat.*

Stemate quod tusco ramo millesime ducis?
——*an decet pulmonem rumpere ventis*

Cic. simili sensu non pulmonem, sed animum inflare dixit *in I. Pisonem. Quo in opido* (ait) *cum tibi spe falsa, quod Q. Ancharium non esse successurum putares, animos rumor inflasset, &* III. *Tusc. Inflatus, & tumens animus in vitio est. Pulmonea poma nominat Plin.* atq; ait stolide tumescere. Ex quo factum opinatur *Rhodog. vt rudes homines, vulgo Pulmones vocentur.* vnde natum prouerbium *De pulmone reuellere,* pro eo quod est stultam, & arrogantem opinionem animo eximere. Quare *Poeta noster Sat.V. Dum veteres auias tibi de pulmone reuello.*

PEXVS TOGAQ; RECENTI.

Splendidus, & viril s debet esse recitantis cultus, nam si aliter sit notatur negligentia. *Chirus Fortun. De pronunciatione.* Sunt quibus non placeat Lipsiana huius loci explicatio: Quæ est *cap. XIII. Elect.* vbi dicitur: *pexum, hic pro pexato accipi,* idest, pro eo qui sit toga pexa indutus, vt pexus

to-

toga recenti, pro toga recenti pexa intelligamus. aiunt enim ineptiret hoc loco Persius; si toga recēs, ergo, & pexa. Quod verum erit, non solum si recentem ab officina accipiamus, sed etiam à fullone; nam, quamq; fullonijs *saltibus pessundatæ*, vt ait *Sen. Epist. XVI. flocum dimittebant vestes; easdem tamen fullones, post elutas sordes comabant*. Videbis apud *Plut. De fortuna. Rom. Perlucentem togam* quam repræhendit *Sen. Epist. CXV*. Cretatum, non à fullone recentem accipio: *Vid. Plin. lib. XXXV. cap. XV. & XVII.* Ego pexus, ad barbam, & capillos reffero: Scio enim imperante Nerone harum ineptiarum Trosulis magnam, imo maximam fuisse cũram, hæc scribente *Sen. De breuitate vitæ cap. XII. Quid? illos otiosos vocas, quibus, apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur, si quid proxima nocte succreuit. dum de singulis capillis in consilium itur; dum aut disiecta coma restituitur, aut deficiens, hinc, atq; illinc in frontem compellitur? quomodo irascuntur, si tonsor paulò negligentior fuit? quomodo excandescũt si quid ex iuba decisum est? si quid extra ordinem iacuit? nisi omnia in annulos suos recidunt? Quis est istorum, qui non malit Remp. turbari, quam comam suam: Qui non solicitior sit, de capitis sui decore; quam de salute? qui non comptior esse malit, quam honestior?* & alibi: *Nos tu otiosos vocas inter pectinem, speculumq; occupatos. Colum. etiam in præfatione, capitumque, & capilorum concinatores, non solum esse audiui, sed ipse vidi. quos certe non viderat prisca illa intonsi Catonis ætas. tunc enim vt ait Sen. lib. I. cap. vlt. quæst. Nat. coniugum manu crinis ille quem effundere olim mos viris fuit attractabatur, & illum sibi sine vllo artifice formosi quatiebant, non aliter quam iubam generosa*

generosa

nerosa animalia. Ex ijs quę dixi facile mihi persuadeo, Persium ad quas retuli Trosulorum ineptias respexisse, & proinde pexum ad barbam, & capillos retulisse. Sed libet parerga (vt aiunt) opera hic adscribere, quod est apud *Cæl. Rhod. lib. XV. cap. IIX. Antiq. lect. Sed cæptum (inquit) à trosulis, & molliculis, linteatisq; succidere comam varijs locis, in gradusq; formare; vt cincinnatuli sint, & comatuli, quales ferme fieri produnt, qui Pleiadibus nascuntur orientibus.*

SARDONICHE.

Gemma est rubri coloris. *Policrates ait Plin. assiduo gaudio lassus, vt fortunam experiretur, Sardonichen ingentis pretij, proiecit in mare, quæ quinto die in euiscerati piscis aluo sibi à piscatore oblati est reperta. ea deinde in orbem nostrũ aduecta primas luxuriæ excitauit faces. Idẽ Plin. Vt frequens huius gemmæ apud scriptores mentio, sic ambitiosus vsus*. quare cum nullam propriam haberet ideò

——————conducta Paulus agebat
Sardoniche——————

Et *Martialis de vanissimo Mamurra.*

Sardonichas veros mensas quæsiuit in omnes.

Annuli vsu non adimit Oratori *Quintil.* qui præsertim possit translatus, vel alligatus memoriam refricare, sed multitudinem non probat. *Manus (ait) non impleatur annulis, præsertim medios articulos non transeuntibus. quam molliciem obijcit Stellæ. Mart. lib. V.*

Sardonichas, smaragdos, adamantas, Iaspidas vno
Portat in articulo, Stella seuere meus.

Idem lib. XI. ridens Zoili annulum libralem.

Zoi-

Zoile quid totam gemmam præcingere libra
Te iuuat, & miserum perdere sardonicha.

In qua gemma sigilla obsignandis literis scalpta interdũ habebant locupletiores. *Iuuenal. Sat. XIII.* de ijs qui chirographa sua manu scripta, & obsignata negabant.

Arguit ipsorum, quos litera, gemmaq; Princeps
Sardonichus, loculis quæ custoditur eburnis.

NATALITIA.

Die natali dono data. *Censorinus Præfatione: Quodcumque hoc libri est mei opibus cõparatur, natalitij titulo tibi misi.* hinc natalitia Caldæorum prædicta, & sidera natalitia, quam horam Exortiuam vocat *Plin. sicut horam obitus, decretoriam. Sen. Epist. CII.* falsus est igitur, qui hic natalitiam sardonichẽ accipit, quod ea tantũ die natali vteretur. Consulibus mos erat de die natalis Imperatoris edicere. *Suet. in Calicula cap. XXVI. Consulibus obliti de die natali suo edicere, abrogauit Magistratum; fuitque per triduum sine summa potestate Respublica.*

TANDEM.

Post longum illum apparatum. Quòd se bibliothecis incluserit; quod pexus ad recitãdum venit; quod annulis gemmatis manus ornauerit; quod denique celsam sedem consederit vide quem finem sortiatur, qui finis sit consilij sui, quo terminet ista cura: eo nempe, vt recitãs, molli ceruicis inflexione; per gutturverba colliquando, patrantibus ocellis, in lumbos auditorum permeet. intimaque tremulo versu scalpat. Vel, Tandem, accipe. quod se ornando postremo loco annulum assumpserit. Mirifice hic describitur recitans mollitijs

litijs flores; vt de Sardanapalo, ait, *Velleius*. *Quibus vnis delitijs fuit, qui nomen boni Oratoris assecutus fuerit*. *Cic. in Bruto. Lucius Apuleius Saturninus eloquentissimus visus fuit, specie tamen magis, atque ipso amictu capiebat homines; quam aut dicendi copia, aut mediocritate Prudentiæ*.

A L B V S.

Toga recenti, non studio', aut timore frequentiæ auditorum, vel Albus, pallidus, & de euentu recitationis anxius.

SEDE LEGENS CELSA.

Crebra fit mentio huius moris recitandi, non solum poëmata, sed omnium scriptorũ genera apud *Senecam*; sed nusquam crebrior, quam epistolis *Plinij*. *videndæ sunt præcipue XIII. lib. primi XVIII. lib. III.* vbi intelliges quantopere placuerit recitatio sui Panegirici, *Cumque (inquit) modestia mea finem recitationi facere voluisset; vt adijcerem tertium diẽ, exegerunt. XXVII. lib. IV. tertia V. XXVII. sept.* quibus accedat ea. quam *Martial. præfixit lib. XII.* Causas recitandi duas recenset idem *Plin. Epist. IV. lib. V*. *Prima, quod qui recitabat aliquanto acrius scriptis suis auditorum reuerentia intẽdit*. *Secunda, quod, de quibus dubitabat, quasi ex consilij sententia statuit. Et Martial. Epist.* quam modo dixi. *Si quid est in libellis meis, quod placeat, dictauit auditor illa iudiciorum subtilitatẽ*. quidã ambitione moti emebant à poetis carmina, quæ pro suis recitarent. *Mart. lib. II.*

Carmina Paulus emit, recitat sua carmina Paulus
Nam quod emas, possis dicere iure tuum.

Sede

SEDE CELSA.

Sic *Lucanus principio lib.V.*

Lentulus è celsa sublimis sede profatur.

LIQVIDO CVM PLAS.
GVT. MOB. COL.

Plasmate;figmento. *Ausonius principio Periocha Iliados. Tum raptio Helenæ*,quæ opinione veterũ bipartita est;quod pleriq; Helenam iuxta Homericum plasma ad Troiam deportatam fuisse existimauerunt. *Et Martian. Claudens vniuersum opus*, quo Deos musasq; loqui finxerat.

Garrire agresti, musa finxit plasmate

Idem Auson.ad Paulum.

Si qua fides falsis vnquam est adhibenda poetis
Nec plasma semper allinunt.

Itaq; qui vocem fingit,& quasi per guttur liquando effęminat,plasma facit.cuiusmodi vocẽ non probauit Archesilaus in quodam delicato diuite, sicut nec capillum arte compositum.*Gel.lib.III.cap.V.* Puto etiam *Senecam Epist.LII.* hoc genus vocis significasse, pro sono orationis molliter lapsæ. cuius peruersi moris pudebat *Plin.secund.* vt apparet *Epist. lib.II.ad maximum* his verbis. *Pudet refferre,quæ,quàm fracta pronunciatione dicãtur. quibus quam teneris clamoribus excipiantur,plausus tantum,ac potius sola cymbala, & timpana illis canticis desunt, & ante illum Sen.præfat.lib.primi controuersiarum, vbi ait. Ad muliebres delicias vocem extenuare, nostrorum adolescentium specimen est.* Videtur *Paulo Man.ad Epist.V.lib.VI.ad Attic. Propertium* huiusmodi vocem voluisse exprimere cum dixit *Eleg.VI.lib.primi.*

Illa

Illa mihi totis argutat mollibus ignes.

Argutat interpretatur ille; narrat suos amores, ea voce, quæ sua tenuitate fœmineam molliciem indicet. *Budeus verò argutat*, ideſt imputat quid ſi dicamus argutat declarat, & maxime oſtendit? ductum ab extis argutis. *Cic. de Diuinat. lib. II. ſunt enim qui argutiſſima hæc exta eſſe dicant.* loquitur de felle gallinaceo.

L I Q V I D O.

Non quod ipſum ſit aliquid liquidum, ſed per quod vox ſit liquida, & flexibilis, ideſt compreſſo ſpiritu clarius prolata. Neq; aliunde L. M. N. R. liquidarum nomen traxerunt, quam quod ſpiritum tanquam eliquantes cõprimunt. quod voluit hic intelligi Perſius, dicendo mobile guttur. geſtum enim exprimit vocem gutture colliquantis, vt faciunt aues. *Lucret. lib. II.*

Aiera pertenerũ, liquidis loca vocibus opplẽt, & V.
At liquidas auium voces imitarier ore.

Diſſerte *Quintil. lib. primo de lectione pueri. Non ſit vox in cãticum diſſoluta, nec Plasmate (vt nunc fit) effæminata.* quibus ex verbis miror duobus ſingularis doctrinæ viris viſum fuiſſe probari: Plaſma portionem fuiſſe, quæ ante recitationẽ ſumeretur. ibi enim nõ de recitaturi voce præcipitur, ſed admonemur quæ cura adhibenda ſit in informãda prima pueri lectione. Sit (inquit) *in primis lectio pueri virilis, & cum ſuauitate quadam grauis, non in cãticum diſſoluta, nec Plaſmate effæminata.* Quis hic (quæſo lectorem) potionem vllam comminiſci poteſt? an fiet cuiquam veriſimile pueris ad prima legendi rudimenta informandis pharmacum quotidie

ex-

exhibitum? præsertim cum eodem capite paucis interiectis hæc etiam dicat. Quare vocem delitijs non molliamus, nec spadonum, & mulierum, & ægrorum exilitate tenuemus, nec imbuamus ea consuetudine, quæ duratura non sit. Cæterum cur requirat Quintil. grauem, & virilẽ in puero lectionem, *Docet Paullus Aegineta lib. primo capite de exercitatione vocis puerilis*, his verbis. *Grauioris autem vocis sonus vtilis habetur, eoq; exercere eum oportet. Ita.n. aer copiosissimus inspiratu, in corpus attractus, thoracem, ventrem, & meatus totius corporis, diducit, dilatat, aperitq.* & paulo post. *Consilium igitur est, hos frequenter legere, vt toto corpore relaxato, fusaq; carne, Arteriam, & alios spiritus transitus studiose resarcientes, per grauiores vocis actiones modulentur.*

MOBILE GVTTVR.

Chironomia, ideſt, vt interpretatur *Quintil. lex gestus requirit in recitante ceruicem rectam, & neutrolibet inflexam.* quare mobile guttur exprimit minime virilem geſtum. Quo vitio maxime laborauit *Q. Hortensius Cic. lib. III. Act. II. in C. Verrem. Tamen ne putamus patronum tuum.* (is erat Hortenſius) *in hoc crimine ceruiculam iactaturum, & populo se ad coronam daturum?*

OCELLO PATRANTI.

Ocello libidinis indice in libidinem reſoluto, atq; illecebræ voluptatis pleno, & in ſimili re omnino melius quam oculo, quod obſeruarunt fere ſemper poetę, luſus, & nequitias ſuas referẽtes. Porro in dictione patrãti latet obſcęnitas. *Quintil. lib. III. cap. de ornatu. Sed quoniam vitia prius demonstrare aggressi sumus; vel hoc vitium sit quod Cacophaton*

F *voca-*

vocamus, siue mala consuetudine inobscœnum intellectum sermo detortus est. vt ductare exercitum, & patrarebellum. Cæterum oculis maxime declarantur animi motus, temperantq; hilaritatis, & tristitiæ modum rei de qua agitur. *Et vt ait Cic. III. de Oratore animorum sunt iudices,* & ibidem paulò post. *Oculos autem natura nobis dedit, vt equo; & leoni, setas, caudã, & aures, ad motus animorum declarandos.* & expressius *primo de legibus. Nam, vt oculi nimis arguti quemadmodum affecti simus loquuntur.* non immerito igitur dictum est animum in oculis habitare. Quod intellexerunt Indi, qui Vxorem ducturi, de puellarum moribus, ex oculis iudicabant se nunquam falsas fuisse dictitantes. benignum enim intuitum summam animi pulchritudinem comitari credebant, contra verò transuersum, & implacidum malitias: pupillas autem nimiũ patentes, & rarò mobiles, simplicẽ, & quodãmodo stolidam præseferre. nihil errabit *qui Probl. LXVII. Ant. Zimaræ adibit. Sed Plato in Timeo, ad altiorem multoq; nobiliorem causam refert, cur natura oculos homini dederit, vt scilicet sydera, Solem, & Cœlum suspiciens, quæ de mundo disputantur inuenire posset, cogitationesq; suas, ad cœlestis motus temperiem reuocaret.* Sapienter vt omnia. nam qui mundi ordinem pulchritudinemq; totius naturæ perspicit, contemplaturque quomodo singulæ naturæ partes suis locis contineantur; ita vt nulla in alienum locum irruat, aut violenter inuadat, imò aliæ, alijs stabilitatem dent, & aliarum vicissim opibus fulciantur; is non modo alienis opibus manus non afferet; sed nihil turpe, & flagitiosum, aut agere, aut pati poterit.

Fran-

FRACTVS.

Frangitur animus,cum aut metus, aut cupiditas ratione pessundat.vtrumque vno spiritu *Cic.prim.Off.Non est autem consentaneum,qui metu non frangitur, eum frangi cupiditate*. *Casaub.*docte admonet,*frangere, latinis, sæpe esse virile robur in muliebrem molliciem corrumpere*. cuius exemplis accedat illud *Sen.de virtutibus cap.de continentia. Nam reprehensibilis risus est, si immodicus; si pueriliter effusus; si muliebriter fractus*.

NEC VOCE SERENA.

Trementi,qualis eorum qui libidine liquescunt. *Quintil.*duodecim vocis qualitates numerat;nec serenam nominat,igitur clarè subijciemus. *Sicut Plin.de Margaritis. Serenum colorem,pro claritate matutina contrahunt*.

TREPIDARE.

Quasi prurienti libidine commotos, non se loco continere, nam si rebus obscænis accedat verborum mollities, & vtrumque comitetur suauitas quædam vocis, & in canticum dissoluta, tantauis animum inuadit, vix vt sustineri possit.hinc ista Procerum trepidatio.

TITOS.

Apage, Italorum insectator, qui Titos interpretatur; scholasticos; quod vagi sint, nec vno magistro contenti; & ij in libidinem proni;tanto iste ineptius, quanto doctius *Turnebus cap.XIX.libro II. Titos (ait) quasi dignitas ingenuorum in Prænomine tota posita est*. vnde dixit etiam *Sat.V.*

——*Marco spondente recusas?* & ibidem

——*Adsigna Marce tabellas*.

Polyb. etiam semper scipionem Africanum, honoris gratia Publicum appellat. hæc *ille*.

CVM CARMINA LVMB. INT.

Pulchre huic loco conueniunt, quæ loquitur *Mnesilocus Apud Aristophanem Cerealibus*. vbi laudat cantilenam chori.

ET TREMVLO SCAL. VBI INT. VER.

Tremulo, non anili, vt quidam, sed lasciuo. *Horat.*

Et cantu tremulo pota cupidinem
Lentum solicitas.

quam corporis titilationem preseferentes, Fritinire dicebant antiqui *Ioseph. Scal. Ad Varronem de veris Etym.*

INTIMA.

Vim illam animi intelligit, qua concupiscimus, potentia omnibus animantibus communis, cuius obiectum, est bonum sensui conueniens; sub ea ratione, quæ proponitur ab æstimatiua.

SCALPVNTVR.

Egregia translatio, à scabie, ad pruritum libidinis. sed quoniam his septem superioribus carminibus; omnia confundunt, & perturbant veteres expositores, recentiores vero minutula hæc contemnunt, non erit ab re ordinē apponere. is igitur est. Scilicet hic videas ingentes Titos trepidare; neq; more probo, neq; voce serena, cum carmina intrāt lumbos, & scalpuntur versu tremulo; cum intelligo qui scripsit; inclusus. legens tandem hæc populo, celsa sede pexus togaq; recenti albus, & cum Sardoniche natalitia colluerit guttur mobile, plasmate liquido, fractus ocello Patranti.

Tun'

Tun' vetule auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus, & dicas cute perditus, ohe
Quò didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus?
En pallor, seniumque, ò mores. vsq; adeò ne
Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, & dicier hic est.
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?

VETVLE.

Aculeus in diminutiuo, quod senex moribus repuerescat, & contra *Catonis monitum, ætatis malis addat turpitudinem.* In huius hominum generis ineptias *Franc. Petrar. lib. II. de secr. cur. conf.* Sic facit *(D. Augustinum)* inuehi; *Quid inter pueriles ineptias albicantibus comis, & rugosa fronte versamini?* Hic puto Persium generatim loqui, in Pseudo poetas senes, & ambitiosos Neronis asseclas. nō enim ad vnum Neronem referri potest quem constat anno ętatis XXXII. interijsse. Qui vetulum semper in peiorem partem accipi dixit; *exemplis, & Plautinis, & Ciceronianis coarguitur. Priscianus lib. III. In vs terminans vnum tertiæ declinationis, commune trium generum abiecta. s, assumit, lus in diminutiuo, vt vetus vetulus. Persius.*

Tun' vetule auriculis alienis colligis escam?

non escas, vt habent codices omnes.

AVRICVLIS ALIENIS.

Qui non colis musas, vt tibi, & bonis moribus prosis, sed vt auditorum tuorum corrupto iudicio placeas. Cocū imi-

tatus,qui condiendis cibis non suæ,sed Domini gulæ seruit. recte *Plin.lib.III.Epist.XVIII.omnes qui placendi studio scribunt,qualia placere viderint scribent.*

E S C A S.

Aurium escæ,sunt auditus oblectamēta;quibus,vt hamo pisces homo capitur. *Varro lib.V.de lingua lat. Propter hanc (inquit)aurium auiditatem Theatra replentur. Ab esca deriuauit Solin. verbum Esco, ad finem cap.LIII.* vbi ait,*ciconias in Thesalia escandi causa insectari serpentes.*

CVTE PERDITVS.

Existens cute perdita. Perdere,& curare contraria sunt. sicut igitur qui cutem curat bene,ac molliter viuit,sic qui se curis,& laboribus macerat cutem perdit. Ait itaque. Tun' vetule,vt alienis auribus placeas maciem istam contraxisti? hanc esse mentem Persij apparet ex eo,quod statim subiungit. *En Pallor seniumque.* Pallor cutem perditam,senium respicit, Vetule.

O H E.

Non committā, vt recensendis varijs super hoc loco expositionibus putidus videri possim.tantum dixero nullo modo legendum esse, Euæ, vt sit vox bacchantium furiosum aliquod carmen indicans.quis enim furor,quæ Bacchalia possunt hic significari?neq; si legamus Ohē,vt est omnino legēdum,quisquam mihi persuaserit hac particula, vanum poetarum finem suo poëmati imposuisse; vt significetur ad extremum vsque verbum recitasse. Nam quid de eo dicam,qui Euohe scripsisse ait Persium? esseq; principiūm Dithyrambrici Neronis, vt pro principium totū intelligat Dithyrambum?

bum? Primo.n. docendum erat, pro vetulo accipiendum esse Neronem. Deinde scripsisse illum Dithyrambum. Postremo vel membrana vel aliqua saltem melioris notæ edicione vulgatam lectionem mutari posse; Dicamus igitur, cum singularis eruditionis *Casaub. vocem hanc proferri, à Poeta illo alienis auribus placendi cupido*; qui audiens tot in se laudes conferri ab adulatoribus, quot, ne ambitio quidem sua posset vel agnoscere, vel probare, Exclamat, *ohe*, quasi illum suppuderet quamuis vanissimum, tam magnifice scripta sua laudari, & extolli. vt sit interiectio fastidientis, & imitatus sit *Horatium Sat. V. lib. II.*

Importunus amat laudari; donec ohe iam
Ad cælum manibus sublatis dixerit ——

Reliquæ expositiones aberrant. hæc tangit scopum. qua visa non potui, non sententiam meam priorem super hoc loco mutare. erat autem hæc: Existimabam quidem *ohe* dici à poëta ambitioso, sed diuerso sensu. fingebam.n. tam diligenter recitanti illi auditores simulatam operam pręstare, vt, illo audiendo numquam defaticari præseferrent. & proinde cuperent perseuerare recitando, illumq; defessum, illa præsertim turgida pronuntiatione. dixisse, *ohe*; quasi diceret, causam satis multa dixi; deficiunt iam me latera. *Martialis lib. IV.*

Ohe iam satis est, Ohe l belle

Donatus exponens verba Demiph. in Phorm. Scen. Ohe Act. desine. hæc scripsit. *Hac voce ostendit plus iusto pro se locutum videri Getam. nam, Ohe, interiectio est satietatem vsq; ad fastidium designans.*

QVO DIDICISSE.

Agit personam ambitiosi vetuli, qui cũ eligendo fine studiorum aberrauerit, nihil mirum facit, si aliò, quam decet, labores suos dirigit: famam enim, & nominis propagationẽ, quæ adiuncta sunt rectis studijs, finẽ ipsum statuit studiorũ. Itaq; sic fingit illum loquentem. Indignaris Persi, quòd tàm diligentem operam collocem, recitãdis meis scriptis: Quid igitur mihi profuerit didicisse, nisi quę olim animo concepi liceat prodere? num potest fermentum non intumescere? non caprificus saxa discutiens; iecinori meo innata poterit non erumpere? Non video quomodo huc pertineat illud *Horatij.*

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus————

ibi enim de illis fit mentio, qui nullos sortiuntur rerum suarum scriptores. qui post mortem paulum distant ab inertibus, quia de vtrisq; siletur. hic aũtẽ loquitur ambitiosus, qui viuens occultę virtutis nullũ esse fructum existimabat. aptus igitur conueniret illud Neronis; *occultæ musicæ nullus est respectus*. Quamquam dicebat *Epitectus, qui aliquid ageret, vt cuipiam placeret de statu decidisse, satisq; esse debere sibi quemque Philosophum esse. & Seneca; tu verò bona, & salutaria tantum disce, & illa non scholæ, sed tibi disce, omnia ad mores, & ad sedandam rabiem adfectuum referens.* Ego certè, vt non negauerim, non hòminum opinioni, sed solæ honestati seruiendum; sic existimo, verissimum esse cupiditatẽ gloriæ sapienti nouissimam excuti. *Cic. pro M. Marcell. ad Cæsarem. Gloriæ te esse auidissimum quamuis sis sapiens, non negabis.*

Sed

Sed illi ipsi sapientes, qui de contemnenda gloria scripserunt, quorsum nomen suum inscripserunt, nisi vt testatum relinquerent, eodem se morbo laborare, pro quo sanando ægris medicinam facerent?

QVO.

Adquem vsum. *sic Horat. Quo mihi fortuna, si non conceditur vti? Et Cic. ad Fab. Gallum. Martis vero signum quo mihi pacis auctori?*

CAPRIFICVS.

Fius Agrestis, cuius fructus nũquam maturescunt. Atq. hinc fortasse traxit Persius aculeum, quod huius poëtæ licet senis vt caprifici fructus, nullius sint vsus, nullius saporis. De caprifico *Plin. lib. XV. cap. XIX.*

RVPTO IECORE.

Bene iecore, in quo est principium facultatis concupiscendi; à qua ambitio, & popularis auræ cupiditas oritur.

EN PALLOR SENIVMQVE.

En quorsum cutem perdideris, quorsum in studijs consenueris. *Sen. Epist. XXXXIIX. O pueriles ineptias. in hoc supercilia sub duximus? in hoc barbam demisimus? hoc est quod tristes docemus, & pallidi?*

O MORES.

Exclamatio indignationis plena, & plane tragica. qua vtimur dum id vulgo fit, quod minus sit ferendum. *Cic. in Catil. O tempora, o mores. vnde Mart.*

Dixerat ò mores, ò tempora Tullius olim

Mores autem dixit, vt communes poëtarum ineptias notaret, neq; enim vnus aut alter hanc insaniam insaniebat. Sed

tam

tam latè illa se diffuderat, & erat in tam multis, vt qui secus faceret non haberetur Poëta. Quare admonuit iam à principio monitor Persium, ne seria scriberet, & moribus profutura, quando nemo futurus esset, qui ea legeret, quę essent præter morem.

VSQVE ADEO NE SCIRE TVVM.

Persius loquitur. ita ne tandem tibi persuasisti; inanem gloriolam vnicum esse fructum, qui ex bonis artibus percipiatur? nec ex tot sapientum monitis, animo tuo insedit: Virtutem se ipsa esse contentam, vel si nullum habeat, quo cum ipsa se communicet? nisi forte existimes, Democritum se quandiu continuit Athenis, neq; à quoquam cognitus fuit constans, & grauis, nullum virtutis suæ præmium retulisse. cum in vna virtute solidum sit bonum. hoc nisi cogitas nondum didicisti

——— *inane abscindere soldo*

SCIRE TVVM.

Vetus glossa hoc habet; *Hæc periodus apud Lucillium posita est. Vt me scire volo mi, mi conscius sum, ne damnum faciam. scire hoc se nescit, nisi alios id scire scierit.* Quem locum sic restituit integrum *Theod. Marcil.*

——— ——— *id me*
Nolo scire mihi cuius sim conscius solus
Ne damnum faciam: scire est nescire, nisi id me
Scire alius scierit:

AT PVLCHRVM EST DIGITO.

Tuetur se poëta communi omnium studio: Nihil vulgatius eo, quod est apud *Cic. Tusc. V. Leuiusculus sane noster*

Demo-

Demostenes, qui illo susurro delectari se dicebat, aquam ferentis muliercula (vt mos est in Gracia) insusurrantis alteri. Hic est ille Demostenes; quo quid leuius? sed, & *Themistoches,* (vel vt ali.) *Xenophon, dicebat, nullam esse auditionem laude suauiorē. Diogenes vero contemplans,* qui gloriæ diuitijsq; studerēt, dicebat, *nihil sibi videri homine stultius;* quoties autem considerabat Ciuitatum Gubernatores, & Philosophos, *nihil esse eodem homine sapientius. dignum qui digito monstretur, vocat Plinius monstrabilem Epist. XXI. lib. VI. loquens de Virginio Romano, Operum inquit varietate monstrabilem.*

TEN CIRRATORVM.

Pendas ne pro nihilo te finisse dictata centum Cirratorū; ideſt puerorum à Cirris, quos calamistro studiose componebant. Non. Calamistrum fistula breuis qua Cirri continentur. non à Cincinnis, ab ijs.n. cincinati, hinc L. Quintius, vir ille triumphalis, ab aratro ad dictaturam euectus, quod esset capillo promisso, & incomposito Cincinnati cognomen traxit. *Plautus in Trucul.*

Abire hinc ni propere grandigeras, iam ego isto fictos
Compositos, crispos cinnos tuos vnguentatos vsq; ex cerebro
Expellam ———

Amianus lib. XIV. inter corruptos vrbis mores fęminas cirratas recenset. *Et licet* (ait) *quòcunq; oculos flexeris fæminas affatim cirratas spectare.* Vnde *Iuuen. Sat. VI. De matrona* quæ taurea, ideſt loro taurino *cecidit Psecam seruam,* quod errasset concinnandis cinnis.

Altior hic quare cincinnus? taurea punit
Continuo flexi crimen facinusq; capilli.

Mar-

Martial. etiam lib. II. ad Lagalen

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Anulus incerta non bene fixus acu;
Hoc facinus Lalage speculo quod viderat vlta est
Et cecidit sectis icta Pelusca comis

CENTVM DICTATA FVISSE.

Morem de quo hic Persius dictandi aliena scripta in scholis respexit *Orator Diuinat. in Verr. illudens Cæcilio* his *si ab isto libro quem tibi magister nescio quis, ex alienis orationibus compositum dedit vno verbo discesseris. Vbi Ascon.* Ergo vult intelligi libellum veterem attulisse Cæcilium, vnde dictata magister pueris prębere consueuisset. Dictantium vero, & eorum qui dabant dictanda, non idem semper erat consilium: Interdum.n. id faciebant, vt primo quoq; tempore venirent scriptores in hominum notitiam eorumque scripta vulgo notiora essent honoris causa. Quorum ambitionē non probat *Horatius ad finem Decimæ. Sat.* Vbi hæc.

——— *neq; vt te miretur turba labores,*
Contentus paucis lectoribus, an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego; non satis est, equitem mibi plaudere —

Interdum irrisionis, vt scriptores ineptiæ citius innotescerent. Quod fecisse *L. Plotium Gallum* apparet *ex Suet. De claris Rhet. dictasse actionem à Cratino accusatore suo, Ordeaceumq; eum Rhetorem appellasse, derisisseq; vt inflatum, ac leuem, & sordidum.* Interdum deniq; vt maledicis scriptis conflata alicui infamiæ nota inuretur. quod, nefario impietatis exemplo, docuit *Sacrilegus Maximus*, qui dedit ludi

Ma-

Magistris, literas dictandas contumeliarum plenas, in Christum mundi Redemptorem. *Euseb. lib. IX.* quem locum citat etiam *Casaub.* vir ad omnia inuestiganda, & enucleanda singularis acuminis.

——— Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi quid dia poemata narrent
Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus
Phyllidas Hysipylas, vatum & plorabile si quid
Eliquat, & tenero supplantat verba palato.
Assensere viri: nunc non cinis ille poetæ
Felix? non leuior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant conuiuæ, nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo, fortunataq; fauilla
Nascentur Violæ? ———

ECCE.

Nouam quãdam rationem iudicandi de Poëtarum scriptis à Nerone repertam dicturus; bene vtitur hac particula; quæ, apta est his, quæ noua, & improuisa accidunt.

INTER POCVLA.

Alieno igitur tempore; nempe cum minus valet ratio, & hebes est intellectus, sobrietas.n. memoriam, & iudiciũ confirmat, vt ait *Plato Epist. VII. ad propinquos & amicos Dionis. Vinum vero immoderate sumptum; ex proprietate substantiæ, mentem lædere* præter alios, docet *Hieronym. Mercur. tractatu de aqua, & vino;* quare *Arcesilaus inter pocula disserere recusabat.* Aridelo enim sibi proponenti quiddam

quod

quod speculatione indigeret, rogaretq; vt super illo differeret; respondit, *hoc ipsum in primis philosophi proprium esse, cuiusque rei tempus scire. Laertius. Merito igitur dixit Cic. Agrar. I. Hæc per Deos immortales vtrum vobis consilia siccorum, an vinolentorum somnia videntur?* quia igitur vinum, vt *Doctissimus ait Ficinus, Sacras Palladi arces, quæ ante omnia colendæ sunt impudentissime pulsat. Plato ad finẽ II. de legibus.* eius vsum interdicit militibus quandiu sunt in castris, seruis, magistratibus, iudicibus cum suum munus obeunt, illis deniq; qui de rebus grauibus deliberant, *quia nimirum vt ait Plinius sapientia vino obumbratur.* huc pertinet Emblema *Andreæ Alciati* de oliua imperante auferri à se vuæ racemos, quod sit Arbor Palladis, quam vocant Platonici intellectualem prouidentiam, & numen intellectuali vitæ præsidens *Emblem. carmina.*

Quid me vexatis rami? Sum Palladis arbor
Auferte hinc botros, virgo fugit Bromium.

Sed aliter censebant Persæ, qui de summis rebus non nisi inter vinum consultabant; quas putabant esse firmiores, quam quæ in sobrietate fuissent deliberatæ. *Strabo, ad finem libri V.* idem fecisse *Germanos scribit Tacitus* his verbis. *Sed de reconciliandis inuicem inimicis, et de iungendis affinitatibus, & adsciscendis principibus; de pace deniq; ac de bello, plerumque in conuiuijs consultant: tamquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat.*

ROMVLIDAE.

Hæc (inquit) faciunt qui

Mar-

Martem, Remumq, & conditorem Romulum
Primos parentes nuncupant.

Constat autem Romulum fuisse valde sobrium; & vini pręsertim abstinentem. *Quare familiares cum illum vidissent in cæna parcissime bibentem, si ad hunc modum (dixerunt) biberent omnes; vinum esset vilius. quod cum semper faciebat, tum vero maxime cum postridie negotium haberet. Plutarc.*

SATVRI.

Bona pars sermonis offelli Horatiani huic loco cõuenit. Plato cum venisset in Italiam, vidissetq; homines bis die saturari, eo more grauiter offensus, negauit tali vitæ instituto, quemquam posse fieri, aut Prudentem, aut ingenio præstãtem. *Et Marsil. Ficin.* qui totus à Platone fuit. *De tuenda sanit. cap. sept.* hæc scripsit. *Cibus nimius primum quidem ad st machũ in ipso coquendo omnem naturæ vim reuocat. Quo fit, vt speculationi intendere nequeat; Deinde inepte coctus, multis & crassis vaporibus, humoribusq; aciem mentis obtundit.* Corpus igitur cibis expletum, saginaq; grauatum, tãtum abest, vt virtutis imperium sequatur, vt mentis altitudinem deprimat; indolemq; totius honestatis extinguat. nonnulla huc pertinentia scripsit. *Hieronymus Osorius. lib. IV. De institutione, & Disciplina Regis.* Non est igitur vt inter pocula, serium possit esse alicuius iudicium, de re præsertim Dia, idest Diuina, qualia nugabantur Adulatores esse poemata. Quare rei indignitatẽ auget poëta quatuor adiunctis. Temporis. Inter procula. Personæ. Romulidæ. Attributi personæ. Saturi. Rei. Dia Poëmata. Sed possent hæc etiam non inepte tribui adulationi conuiuarum Neronis, qui, inter cę-

nan-

nandum, in eum sermonem consulto inciderent, quem scirent Imperatori pergatum fore. Itaq; loquebantur de Poëtica, quærentes quis in ea Romæ excelleret. aut quid simile. Dia etiam Poëmata vocantes, idest à Deo nata. *Dium antiqui appellabant à Deo ortum, vt ijs blanditijs illum inuitarēt ad aliquid de suo recitandum*, quod effecisse ex sequentibus apparet. fuit.n. ad Poëticam pronus, & carminalibenter, & sine labore composuit. *Suet.*

HIC ALIQVIS.

Certa demonstratio est vice nominis, & eius nomen nominare videor, quem ita describo, vt nemini Descriptio conueniat præter ipsum. *Ouid. Scis bene quem dicam positis pro nomine signis* quod facit hoc loco Persius Neronem Describens, scripta aliqua sua recitantem. Nam ex Læna Hyacinthina apparet non esse vnum aliquem de populo. *Sen. Epist. CIV.* Vbi luxuriam late fęlicitas fudit, cultus primum corporum esse diligentior incipit. Deinde quod dicit de nare locutum, multo apertius illum denotat. *Suet. de studio eius, & opera in cantu. Donec (ait) blandiente profectu, (quanquam exiguæ vocis, & fuscæ) prodire in scænam concupijt.* Miser qui non intelligebat dum vocis harmoniam studiose sequeretur, harmoniam animi temere dissoluisse.

RANCIDVLVM.

Rancore putidum, & ideo, insuauiter, odiosè, putidè prolatum, sic *Martialis libro septimo ad seuerum.*

Non deest protinus ecce de malignis
Qui sic rancidulo loquatur ore.

rancide aduerbio vsus est *A. Gel. lib. XIIX. cap. IIX. In collocan-*

locandis verbis immodice faciunt, & rancide.

HYACINTHINA.

Rosea in qua lucet purpura subnigra; *Ant. Thylesius.* Quod fortasse voluit intelligi *Corputus;* cum dixit *Hyacinthina lænam esse varij coloribus tinctam.* Quod non placet *Theod. Marsilio;* sicut nec quæ dicuntur *à Lipsio super hoc loco cap. II. lib. I. Sat. Plin. lib. XXI. cap. VI. de quodam genere Violarum. Soleq; græco nomine à cæteris discernuntur, appellatæ Ia, vt ab ijs Ianthina vestis.* Quare quidam olim sic legendum censuerunt

—cui circum lumbos Ianthina læna est.

Illam porro violam, quæ Ia dicitur, in mentem videtur habuisse *Horatius* ad Augustum *Epist. I. lib. II.*

Lana tarentino violas imitata veneno.

Sed maluit Persius à Hyacintho deriuare, seu flore, seu lapillo prætioso quem insignem mittit Aethiopia. Cęterum huic attribuit purpuram non sine aculeo satyrico. *Laert. in Arist. In conuiuio olim imperauit Dionys. vt vnusquisq; in purpurea veste saltaret, & Platonem dixisse femineam uestem induere non posse sed Lips.* loco superius producto, ait *lautiorum hominum cænatoriam lænam semper fuisse purpuream, vel coccineam,* quod tamen qua ratione probet viderint alij.

L AE N A M.

Quæ vestimẽtis cæteris superinduebatur. Ea triplex. Militaris quod erat genus indumenti villis crasſũ, maxime hyeme accomodatum; quare crassam, & Hybernam vestem interpretatur, & *Marcus Varro* de ea sic scripsit *lib. IV. Læna quod de lana multa:* Duarũ enim togarum instar erat, vt an-

tiquissimum mulierum Ricinium, sic hoc duplex virorum.
*Strabo quoq; lib.IV.de habitu Gallorum.Lana quidem aspera, cæterum ab longis villis, vnde & hirsuta texunt sagula, quæ læna vocātur.*huic libēter subiecerim lænas Pellenicas de quibus *Cic.III.de Nat.Deorum*. Pellenicæ lænæ celebrantur, quæ antiquis victoribus Athletis præmij loco donabantur. & *Strabo ad finem lib.IIX.*itemq; *Rhod.lib.XVI.cap.X. Augu ralis* de qua *Cic.in Bruto*. vbi dicitur *M.Popilium cum sacrificiū publicū faceret, venisse in cōcionem, vt erat læna amictus, quòd erat Flamen Carmētalis.* ad quē locovide *Sebast.Cor.Cænatoria* de qua hoc loco, & *Mart.in Luscū* cōuiuā furacissimū.

Et tectus lænis sæpe duabus abit.

Hanc non fas videre publicam lucem probat *Iustus Lips.*ex eodem *Mart.*vbi de hac sic scripsit.

Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota,
Hoc opus est, pictis accubuisse thoris

De Læna, *Germ.etiam valens IV.libro Ann.*vbi de Mercurio ait poëta

———*Tyrioq; ardebat murice læna*

ab huius vestis vsu nomen traxisse lænates Romanos verisimile videri potest.

PHYLLIDA HYSIP.

Nulli non cōpertum est Neronem fabularum scænicarū fuisse studiosissimum; quippe qui, non solum libentissime illis interfuerit, sed etiam interdum egerit. constat enim in scęna cantasse Canacem parturientē; Orestem matricidam; Oedipodem excæcatum; Herculem etiam furētem in proscænio palam egisse. Quod sic quorundam animos offendit, vt inter

cau-

causas in eum conspirationis nnmeratum sit. Nam cum Subrium Claudium interrogaret, quibus de causis ad obliuionem sacramenti processisset: *Oderam te(inquit)nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti; Sed odisse cæpi, postquā parricida matris, & vxoris, Auriga, Histrio, & incendiarius extitisses. Tacit. Annal. lib. XV.* Hęc vt dixi, quamquā vera sint; non ob ea tamen, quispiam mihi persuaserit, Phyllydas, & Hypsipylas, pro Tragædijs eiusdē nominis hic Persium vsurpasse. mihi enim fit magis verisimile, pro duabus istis, amatorias omnes Elegias intelligi. præsertim cū vtriusque harum Heroinarum extent Ouidianæ, sciamque magis conuenire Neroni Citharam Paridis, qua impuræ Veneris flagitiosa munera cantabat, quam Achillis, qua Illustria fortium virorum facta celebrabat. Itaq; Alexander Mac. illam sibi ab Iliensibus dono oblatam respuit; hanc autem se dixit quęrere. Nam quod volunt probare intelligendum esse de Tragædijs, quia sequitur: Vatum, & plorabile si quid; Horatianum illud videntur ignorare.

Versibus impariter iunctis querimonia primum
Post etiam inclusa est voti sententia compos

Item illud —— *Elegiia flebile carmen.* &

Flebilis indigno; Elegeia solue capillos. &.

Neu miserabiles decantes Elegos.

Timō etiam apud Lucianum Gnatonidi adulatori qui dicebat nouum Dithyrambum in eius laudem attulisse; *Atqui(ait) hoc bidente pulsatus cantabis elegos*, idest plorabis. *Cal. Rhod. lib. XV. ad finē*, vbi acriter inuehitur in maledicos. hunc locū mutilando producit, & nouo sensu aliorsū detorquet, quam

quò mens poëtæ ferebatur; hæc enim inter cætera ſcripſit. *Ore rabido inſitum ſpargens venenum*, de quo genere, & illud Satyricum. Hic aliquis ſequens carmen Phyllidas reticet, & prò Eliquat, legit Perſtrepit.

ELIQVAT.

Iacobus Cruq. exponens illud *Horat. Sat. II. lib. II.*

Quid? cum blanda feris annoſo verba palato.

ferire verba palato (ait) *eſt molliuſculè, & blandiuſcule verba pronunciare, ſic Perſius;* & producit hũc locũ. *Apul. Flor. II. de ſtatua Batylli à Policrate Tyrãno in tẽplo Iunonis ſamiæ dicata;* Interim canticũ videtur ore tereti ſemihiatibus in conatu labellis Eliquare. Translatũ ait *Turneb.* à ſacco vinario, atque hunc veluti voces percolare. Porro à ſacco quo eliquatur vinũ, deriuatum eſt verbum ſaccor. *Mart. lib. 3. ad Tongilium.*

Cæcuba ſaccentur——————

Quare *Lucr. lib. IV. lotiũ*, quia per corpus percolatur humorẽ ſaccatum dixit. *Totius humorem ſaccatũ, vt corpori ſundat.*

ASSERE VIRI.

Viros ironice dixit, quos ſuperius per cõtemptum vocauit Troiadas.

LAVDANT CONVIVAE.

Quid ni laudẽt? *cum pretium conuiuij ſit laus, & obſequiũ, vt dicebat epitectus*, & iſti malent cũ *Platone Regia menſa vti, quàm cum Diogene olus cænare*, qui dictitabat *male ſe ſal Athenis lingere, quam apud Craterum frui magnifice inſtructa menſa*, & infælicem dicebat *Caliſtenem* quamuis ſplendide ab Alex. exciperetur, quia pranderet, ac cænaret cũ Regi videretur. Sed omnino aut adulandũ erat, aut cum Philoxene ad latomias abeundum. erat enim ille pronus in ſimultatem

lato-

etiam parce laudantium. *Suet. Multis enim, vel amicitiam obtulit, vel simultatem indixit, prout quisq; se magis, parciusue laudasset.* Quare auditores non ex vero de eius scriptis statuebant; sed tyrannicam potentiam metuentes laudabant. Imperitante enim tyranno, pauori interno, qui ab illius sæuitia proficiscitur, nullum prestantius remedium videtur esse quam adulatio. *Tacit. lib. IV. Ann. Pauor internus occupauerat animos, cui, remediū adulatione quærebatur*; atq; eo magis faciebant proceres, quod innotuerat, non solum inuidere famæ præstantium Poëtarum, sed, ne ęmulum quidem vlla in re ferre posse. nam, quia præmebat famam carminum Lucani, is creditus est in eum coniurasse, *Tacit. Ann. lib. XV. & inter cætera datum est criminis Senecæ, quod crebrius carmina factitaret, posquam Neroni amor illorum euenisset. Idem auctor eodem libro. creditum est etiam Paridem histrionem, ab eo occisum, quod se æmularetur. Itaq; postremis Imperij sui annis, sigillo obsignabat literas, in quo scalptus erat Marsia, cui Apollo pellē detrahebat; vt sic subindicaret, se æmulantes, vt olim Marsia Apollinem, extremam pernititiem paßuros.* nō intelligebat pestifera illa bellua, nō decere Imperatorem minutiores artifices, qualis erat Paris Histrio, velle in propria arte superare. hinc libertas illa cantoris merito laudari solet, qui Philippo Regi secū de vocis modulatione disputanti, dixit. Nūquam Dij, ò Rex tantū tibi irascantur, vt me canendi artificio vincas. quo dicto, Regis ineptam ambitionem, ad laudē, quæ Regis non erat, aspirantem fregit; quā loquendi libertatem non impune tulisset Nero. Itaq; eo imperante in summo erat Adulatio. *Plin. Paneg.* hunc ipsum designans; *Et quis*

(ait) *iam locus miseræ adulationi manebat?* cum laudes Imperatorum, ludis etiam, & commessationibus celebrarentur; atq; in omne ludibriũ effæminatis vocibus, modis gestibus frangeruntur?

NVNC NON CINIS IL. PO.

Verba adulantiũ; quæ cum audiuisset Persius, non tenuit risum, itaq; qui tuetur partes poëtæ: Rides (ait) & nimis vncis Naribus indulges. merito ridebat Persius; sciebat enim eos, qui laudibus extollunt, quæ bonorum iudicio damnantur, laudando vituperare.

CINIS FOELIX.

Bonorum, ac malorum sensus cineri tribui solet, cum pro manibus ponitur, vt hoc loco, & *Magnus Poeta IV. Aen.*

Non seruata fides cineri promissa Sichæo.

& alibi. ———— *cineriq; hæc mittite nostro.*

Munera————

cineri idest Manibus, nonnunquam tamen vtrumque simul iungimus. Idem Poeta.

Nec Patris Anchisæ cineres manesue reuelli. &

Id cinerem, & manes credis curare sepultos?

Quibus ex locis, multisque præterea alijs, licet intelligere olim creditum fuisse manes babitasse in sepulchris. quò respiciens Persius dixit ex mente Adulatorum fore, vt violæ nascantur ex manibus huius poëtæ. *Propertius libro IV.* tam infaustum cinerem lenæ præcatur, vt illum abominentur manes.

Nec sedeant cineri manes.

Por-

Porro cum *Cic.* ponit cineres in hac significatione, non rarò coniungit cum ossibus, *vt Ver. III. Homo importunissimè cur tantam iniuriam P. Antonio mortuo fecisti? cur hunc dolorem cineri eius, atq; ossibus inussisti? Et sept. Ex tua calamitate cineri, atq; ossibus filij tui solatium vult reportare. & Philip. XIII. Videte quid Antonius se gauisum dicat, dedisse pœnas sceleratum Trebonium cineri, atq; ossibus clarissimi viri.* Ciner ē gen. fœm. posuit *Catullus ad Manlium.*

Troia virum, virtutum omnium acerba cinis.

Vbi *M. Ant. Mur.* alia duo exempla producit in simili genere. Sed de primo potuit admoneri *à Iosepho Scalig. in Cirim Virg.*

LEVIOR CIPPVS.

Cippis sepulchralibus, qui, vel columnæ, vel pergrandes erãt lapides, quales etiam nũc hodie ad similem vsum adhibent Iudæi, plerumq; has notas scalpebant. H.R.I.P. hic requiescat in pace. quò allusit *Virg.*

—— Nunc placida compostus pace quiescit.

Pontanus tumulo Leonardæ Auiæ.

Tu requiem, & cineri optato——

& Tumulo Venarillæ.

Da requiem, & Cineri—— & alibi.

Dent pacem, & cineri numina——

Vel S. T. T. L. sit tibi terra leuis, quò nunc respexit *Persius, Prop. lib. primo ad Cinthiam.*

Illa meum extremo clamasset puluere nomen.

Vt mihi non vllo pondere terra foret.

Et Ouid. deflens mortem Tibulli sic clausit Elegiam.

Ossa quieta precor tuta requiescite in vrna
Et humus cineri non onerosa tuo.

Vbi apparet verba, quæ notis Cippo scalptis significabantur, eos qui benè manibus precabantur, aut iustis persolutis, aut propè tumulum transeuntes pronunciasse. Atque hęc quidem pia verba dicebantur. *Pont.Tumulo compatris.*

Dic tumulo pia verba.

Reperij etiam in *Schedis Bernardini Dardani, in eulogio cuiusdam meretricis.*

Dic quæso huic cineri bona verba precare merenti
Optima, ne tumulo sit procul vmbra suo.

Quibus verò male precabamur omnia contra. *Prop.lib.IV. ad Lenã.* *Sic tumulus Lenæ curto vetus amphora collo*
Vrgeat hanc supra vis caprifice tua.

*Et Tibul.*de illo, qui primus docuit Venerem vendere.

——— *infelix vrgeat ossa lapis.*

Nec longe hinc abit Venus apud *Horat.lib.& Oda III.*

Dum Priami, Paridisq; busto
Insultet armenitum, & Catulos feræ
Celent inultæ. ———

Signum hominis sepulti, pręter Cippum, fuit etiam Tegula, quam non sibi integram, sed curtam positã fuisse dolet vmbra Cinthiæ apud *Propert.*cum ait.

Læsit, & obiectum tegula curta caput.

Id autem habitũ fuisse contumelię loco ex eo apparet, quod idẽ poëta imprecatus est Lęnę pro tumulo Amphora curto collo. fuit & cespes.*Tacit.de morib.Germ.* Sepulchrũ cespes erigit.fuit & tumulus.sed hoc notius quam, vt egeat exẽplis.

Cip-

CIPPVS.

Præter illos, quos dixi ſepulchrales, erãt etiam militares cippi, quos deſcribit *Cæſar in obſceſſione Aleſiæ.* Quin, & lapides, quos certis ſpatijs Romulus, (vt ſcribit Tacit.) interiecit inter ima montis Palatini, ad ſignifandos Pomęrij termi nos, *Varro cippos appellat. Cippi (inquit) Pomerij ſtant, & circũ Ardeam, & circum Romam.* A Cippo exiſtimarunt *Paul. Man. & M. Ant. Muret. Tibullum compoſuiſſe Salacipium in Hendecaſyl. De Caluo, & Quodam.*

Dij magni ſalacipium diſertum,

Sed *Ioſeph. Scalig.* literatorum Princeps, aliter ſentit ad *Catalecta Virgilij*, probat enim legendum eſſe *Salaputium*, nulla prorſus habita ratione Cippi, ſupra quem ſe caluus impo ni iuſſerat, & eandem lectionem ſeruandã eſſe apud *Sen. lib. ſeptimo controuerſiarum. Quarta controuerſia.* eiuſq; vocis *Salaputij*, inquam, originem, & vim copioſe docet.

NASCENTVR VIOLAE.

Vix vnquam fortunati alicuius, qualem conuiuę iſti poëtam ſuum prædicant, tumuli fieri mentionem videbis, quin eidem vnum aliquod, aut plura eorum tribuantur; quæ ludens *Virgilius* fingit paſtorem circa tumulum culicis conſeuiſſe, ad finem illius opuſculi. Sunt autem iſta. *Acanthus; Roſa; Viola; Myrtus; Hyacinthus, Crocus; Laurus; Rhododaphine; Lilia; Roſmarinus; Herba Sabina; Chryſantes; Hedera alba; Bocchus;* qui, quid ſit ignoratur; *Amaranthus; Bumactus; Pinus;* non arbor, ſed floris genus; *Narciſſus;* Addũnt alij, *ſpicam ciliſsam; & ver perpetuum;* quod ego accipio pro omni genere florum. *Aeneas ad tumulum Pat. V. Aen.*

Pur-

Purpureosq; iacit flores ———

Et sexto de *Marcello*

Purpureos spargam flores, ———

Iuuen:Sat.sep.Spirantesq; crocos, & in Vrna perpetuum Ver.

Auson.Tumulo hominis fœlicis

Sparge mero cineres, & odoro puluere nardo
Hospes, & adde rosis balsama puniceis.
Perpetuum mihi ver agit illachrimabilis vrna.

Pontanus tumulo Ariadnæ Vxoris

Vrna crocum Dominæ fundat, distillet amomum
Ad tumulum, & cineri spica cilissa fluat.

Et alibi. *Increscant tumulo violæ, nascatur amomum*
Vestiat & cineres spica cilissa tuos.

Rursus tumulo compatris. Hospes loquitur.

Macte iterum, tibi ver spiret, tibi floreat Vrna.

Atq; huic quidem fauentiæ, ita fauebant non nulli, vt hæredes instituerent, sub hac conditione, si huiusmodi officia præstarent. docent lapides multi, quos refert *Thomas Procac. De funeribus Antiq.cap.III. & Hieronymus Mag. lib. & cap.II. Miscel.* hodiè etiam Turcarum Imperatores Platanis præsertim inumbrari, & varijs beneolentibus herbis sepulchra sua sepiri volunt, quæ etiam sæpissime à populo floribus consternuntur. Ex ijs quæ protuli exemplis facile apparet, quàm merito *Hieronymus Mag.* reprehendat *Ioan. Bap. Bon. qui cap.XV. notarum,* quas in varios auctores edidit, existimauit *solo apio Tumulos coronari solitos.* Cæterum non sepulchris solum, sed vnius Scipionis funeri, hic florum honos est habitus. *Plin. lib.XXI. cap. III. Florum quidē pop. Rom.*

Rom. honorem Scipionis tantum habuit, & paucis interiectis. *Nec ei fuit in bonis funeris impensa. Asses* ergo contulit Pop. & funus elocauit. quaq; parte ferebatur, flores è prospectu omni sparsit. Hæc quæ dixi officia fælicibus exhibebantur, quorumq; manibus optime precarentur. Infœlicibus vero, & ijs quos pessime oderant omnia superioribus contraria optabant. *Prop.* enim pro rosis, & violis, hæc lænæ imprecatur.

Terra tuum spinis obducat lena sepulchrum

& imprecationes concludens

Quisquis amas, scabris hoc bustum cedito saxis
Mixtaq; cum saxis addito verba mala.

quæ qualia essent indicauerat superius dixerat. n.

Et tua quod non vis, sentiat vmbra sitim
Nec sedeant cineri manes, & cerberus vltor
Impia ieiuno terreat ossa sono.

Vmbra Cynthiæ apud *Prop. lib. Eleg. sep. si fidem Propertio violauerit* sic sibi imprecatur.

——————— *si fallo vipera nostris*
Sibilet in tumulis, & super ossa cubet.

——————— *rides ait, & nimis vncis*
Naribus indulges. an erit qui velle recuset
Os populi meruisse & cedro digna locutus
Linquere? nec scōbros metuētia carmina, nec th⁹ &

Videtur imitari *Horat. Epist. XIX. libri primi*

——— *rides ait, & Iouis auribus ista*
Seruas ———

Qui legendum putat, *Ais*, non videtur vim sententiæ asse-

cutus;

cutus; non.n. ſic accipiendum eſt, vt à monitore hoc dicatur, ſed per Antipophoram ab vno aliquo poetaſtrorum fautore, cuius ineptias de felici cinere, de leui cippo; de fortunata fauilla; de emerſuris violis, cum audiſſet Perſius non potuit riſum tenere, quia erat petulāti ſplene cachino; Quare laudator ille, quaſi illum obiurgans qui ſciret riſum primum eſſe gradum contumeliæ, Rides, ait, quæ minus ridenda ſunt; an erit fortaſſe quiſpiam, qui à Populo laudari recuſet? & ſcriptis ſuis æternitatem non exoptet?

AN ERIT QVI, &c.

Eſt vnus interpretum qui facit ſecundum quendam monitorem hæc loqui, hoc modo; *Primus monitor, ait, ò Perſi, non ſunt hæc, quæ dixi digna tanto riſu*, quod ſecundus probat, dicens; *An erit &c.* quod perabſurdum eſt. nam, qui nunc loquitur non eſt monitor, ſed obiurgator potius; Is.n. quem ab initio loquentem induxit, amicè ſemper admonuit, & Perſius modeſte nonnumquam eius conſilium repudiauit. hic autem non conſilium dat, ſed vt inepte ridentem reprehendit, quod qui non animaduertit, quam longiſſime abit à loci ſententia, & dum alios errati putat conuincere, multo certe grauius peccat ipſe.

ET NIMIS VN. NAR. IND.

Nimis es in riſum procliuis. Riſus pręcordiorum titilatione, interiora, ſed faciem pręcipue exagitat, & calefacit; eiuſque muſculos diſtendens pręter alios motus, narium efficit corrugationem. Quare, *poeta noſter ſatyra tertia*

Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos

Vide *Adag. Naſo ſuſpendere.* Vel ſi mauis accipe Perſium

non

non ridentem sed ex industria irridentis gestum naso exprimentem. Quem vt ait *Plin. noui mores subdolæ irrisioni dicauere.* dixit autem indulgere naribus, vt dicimus indulgere lachrimis; iræ; dolori, luxuriæ; pro obsequi, & inseruire.

AN ERIT QVI.

An erit quisquam, qui cupiditate gloriæ viuus non tangatur, & mortuus gloriam scriptis comparatam, in multam posteritatem propagare non exoptet? Atq; vt dixit ille *volitare docta per ora virum?* Argumentum est à genere ad indiuiduum; si omnes laudari cupiunt, quid ni poëta noster eadem scabie laboret? ait Adulator conuiua.

OS POPVLI MERVISSE.

Dignus haberi de quo frequens sit populi Sermo. *Plato stultitiam in duo genera diuidebat. in Imperitiam, & furorem. Imperitiæ morbum ex gloriosa iactatione contingere; Furorem ex libidine euenire dicebat. Apul. de Dogmate illius Philosophi. Chrisippus vero, & Diogenes detracta vtilitate; ne digitum quidem in bonam famam porrigendum esse dicebant.* quibus assentitur. *Cic. III. de Finibus.* Sed in hac lite egregie distinguit *Tacit. lib. IV. Ann.* his verbis *Cogita cæteris mortalium, in eo stare consilia, quid sibi conducere arbitrentur; Principum diuersam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda;* Ad famam intellige germanam, & solidam, non inanem, & futilem, qualem nugator iste ponebat in voculis populi. Quam curam negat *Seneca*, & iure negat, debere esse sapienti *Epist. XXIX. vbi ait: Quis placere potest populo, cui placet virtus? malis artibus popularis fauor quæritur, similem te facias oportet; non probabunt, nisi agnouerint.* Et iterum

Epist.

✝ *Epist. LII. Quid lætaris quod ab hominibus ijs laudaris, quos non potes ipse laudare?* Merito igitur *Aristophanes*, cum ab eo sententia rogaretur, de Poëtis qui recitauerant, *eum primum pronuntiari iussit, qui minus populo placuisset:* Sciebat.n. quam dissolutum sit imperitæ multitudinis iudicium, quod cum sæpe alias, tum vero maxime apparuit cum Pindaro nouem lyricorum facile principi Thebani propter auditorum inscitiam, in poetarum cōmissione quinquies Corinnã prętulerent, vt merito dixerit *Plin. Secundus. Epist. XIV. lib. II. Si quando transibis per Basilicam, & volueris scire quomodo quisq; dicat; nihil.n. est opus tribunal ascendas; nihil est, quod præbeas aurem, facilis diuinatio; scito eum pessime dicere, qui laudabitur maxime;* nam quamquam loquitur de Oratoribus, ex eo tamen probatur popularis inscitia.

ET CEDRO DIGNA LOC.

An erit qui locutus digna cedro recuset relinquere carmina, nec scombros, nec thus metuentia, &, vt viuus laudē, sic mortuus gloriam consequi; dignam cedro, dignam immortalitate? *Auson. ad librum suum*

Huius in arbitrio est, seu te iuuenescere cedro
Seu iubeat duris vermibus esse cibus

Budæus lib. V. de Asse loquens de morte primarij cuiusdam viri. *Nam qui cedrina familiæ suæ stemmata quesiuisse sperabat & confidebat, ne sui quidem memoriam nisi exilem atq; fugacem reliquit posteritati.* & rursus eodem libro *Gloriam* (ait) *virtute partam impressam stylo exacuato cedrinis in tabulis carie non interire.* ductum à natura illius arboris. *Plin. lib. XIII. cap. V. Cedratæ materiæ æternitas; Itaq; ex ea factitarunt*

Deo-

Deorum simulacra. ego subiungo auorū etiā. *Virg. VII. Aen.*

Quin etiam veterum effigies, ex ordine auorum
Antiqua ex cedro.

Ex eadem materia fuit templum Dianæ Ephesiæ, nam de simulacro non constat. Sunt qui ex Ebeno fuisse dicunt; alicubi legi *Mutianum quendam asserere fuisse Vitiligineum. Vitruuius cedrinum existimauit.* vel cedrum hic accipiamus pro cedria quæ est pix cedri maioris, qua materies perūcta, nec tineam sentit, nec cariem. Quò respexit *Ouid. primo trist.*

Nec titulus minio, nec cedro carta notetur.

Et Plinius libros Numæ cedratos fuisse, & propterea arbitrarier, tineas non timuisse Fiebat.l etiam ex malis eiusdem cedri, Cedreleon oleum, eandem vim habens conseruandæ materiæ, quo interdum ad lumina vtebantur. *Plin. cap. V. lib. XXIV. Cedri succus, ex ea quomodo fieret diximus magni ad lumina vsus. Itaq; Virg. III. Georg.*

Disce, & odoratam stabulis incendere cedrum

& in sep. de Circe *Vrit odoratam nocturna ad lumina cedrum.* Vtrobiq; cedrus pro cedreleo posita; sicut hoc loco pro cedria. Cæterum sicut exanimata corpora cedria conseruantur. *Strabo lib. IV. de moribus Gallorum, Illustrium (inquit) virorum capita cedrinis condientes odoribus peregrinis ostentāt, sic viuentia eadem corrumpuntur;* cuius rei rationem docet *Matthiolus apud Diascor. lib. I. cap. XXXIX.* Quæ dicuntur de materiæ cedri æternitate, deq; vi cedriæ, & cedrelij conseruandi à carie, & tineis, non de illa intelligenda sunt, quæ vulgo nota est tota Italia, & frequens in liguria, & in tractu lacus Benaci, sed de Syria, & Maura folijs

iuni-

iunipero non absimili, fructibus tamen paulò maioribus: *Itaq; Petrus Vict. apud Virg. lib. XI.*

———— & olentem scindere cedrum.

Cedrum pro iunipero interpretatur, vt poetam apud illos defendat qui negabant tunc cedrum nasci in Italia.

NEC SCOM. NEC TH. MET.

Quæ non timeant esse salsā mētarijs inuolucra piscium. & Pigmētarijs cuculli; qui solet esse exitus ineptiarum chartarum, *Horat. Epist. I. lib. II.*

Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis
Deferar in Vicum, vendentes thus, & odores,

S C O M B R O S.

Pro quibus, pisces omnes sale maceratos intelligamus. *Mart. ad suum librum IV.*

Nec scombris tunicas dabis molestas.

N E C T H V S.

Idem *Martialis iterum ad librum suum, lib. III.*

Vel thuris piperiq; sis cucullus.
Quisquis es, ô modò quem ex aduerso dicere feci,
Non ego cum scribo, si forte quid aptius exit,
Quando hæc rara auis est, si quid tamen aptius exit
Laudari metuam. neq; enim mihi cornea fibra est:
Sed recti, finemq; extremumq; esse recuso
Euge tuum, & belle: nam belle hoc excute totum
Quid non intus habet? non est hic Ilias Atti
Ebria veratro? non, si qua elegidia crudi
Dictarunt Proceres? non quidquid, deniq; lectis
Scribitur in Citreis?

APTIVS EXIT.

Exit tamquam ab officina, ait vnus interpretum ex doctioribus. & alius, qui nihil molitur inepte: Exire dicitur de opere; studio; & labore, ad finem perducto. vterq; suis nititur exemplis. Ego existimo poëtam modeste deprecari laudem ingenij, vt, si quid ab eo aptum exeat, in id casu potius, quam iudicio incurrat: apparet ex particula, Forte, sicut etiam infra eodem sensu dicet.

——————— *si forte aliquid decoctius audis*

vt vtrumq; referatur ad illud. *Ego Semipaganus.* quid.n. apte dictum expectari potest ab illo, qui sit pangendo carmine semiexercitatus?

RARA AVIS.

Ducta est allegoria ab auibus peregrinis, & insusitatis, quæ nonnumquam in nostram regionem aduolant, vel miraculi gratia deportantur. non igitur Phænicem, vt vulgo creditur, est enim vnica non rara auis; sed auem albam inuentu raram intelligimus. *Cic. Epist. XXIIX. lib. sep. fam. Cum salutationi nos dedimus amicorum quæ fit hoc etiam frequentius quam solebat, quod quasi auem albam videntur bene sentientem ciuem videre.* Significans nimirum, bonorum magnam esse penuriam, non secus ac auium albarum. Non me fugit in Aduersarijs auem albam aliter accipi; sed certe expositio illa, producto nunc Ciceronis loco minus videtur conuenire, ab hoc autem Persiano abest quam longissime, qui viderit intelliget.

H LAV-

LAVDARI METVAM.

Refugiam, recuſabolaudari;nam, quæ metuimus ab ijs longiſſime nos abducimus. Sic. *Horat.Od. & lib.II.*

Illum aget penna metuente ſolui
Fama ſuperſtes.

&alibi *Metuitq; tangi*
Nuptiarum expers ——

Et *Virg. Primo Georg.*

Arctos Oceani metuentes æquore tangi.

Vide caput oct. lib. primi Variarum lect. M. Ant. Mureti. Porro quod ſe fatetur Perſius, meritam laudem non recuſaturum; prudenter facit. Neq; enim vir ciuilis honorem deſpiciet, vt quaſi exiſtimari negligat, & ne ſuis videatur placere, honorem ex induſtria fugiet. nam cum neceſſario fama ſit comes virtutis, qui illam contemnit, hanc pariter contemnere videtur. *Tacit. IV. Annal. Empedocles quidem imperabat, vt; quod vulgo fas videretur, ſic quoque acciperetur. Plut. in Polit. P. tamen Naſica cenſor ſtatuas ſibi in foro poſitas ſuſtulit, Imperatcriſq; nomen à militibus, & à ſenatu triumphum recuſauit.*

SI QVID TA. AP. EX.

Quintil.cap.X. lib. XII. ſi quid exierit numeris aptius, fortaſſe non poſſit, ſed tamen ſi quid exierit, non erit Atticum?

CORNEA FIB.

Quamquam fibrarum tria eſſe genera docet Anatome, eaſq; inteſtinis; ligamento; Ventriculo; Veſicæ; fellis veſicæ tribuunt; tamen non raro vſurpantur pro ipſo Iecinore; quin, lobos ipſos interdum fibras interpretantur. *Vn-*

de

de Poeta, in sexto de Vulture Titij, cum dixisset; *Immortale iecur tundens* —— *statim subiungit*, —

—— *nec fibris requies datur vlla renatis.*

Nuntius etiam in Thyeste

—— *corq; adhuc pauidum salit*

At ille fibras tractat, & fata inspicit.

Et *Lucan. in primo, de Sacrificio Aruntis vatis.*

Ecce videt capiti fibrarum increscere molem

Alterius capitis ——

Petron. etiam Arbiter, vt refert *Fulgent.* in fabula Promothei

Cui vultur iecur vltimum pererrat.

Et pectus trahit intimasq; fibras.

Varro lib.IV. De ling. lat. Antiqui fibram dicebant extremum, vnde in sageis extrema fibriæ, & in iecinore extremum fibra. hinc fiber dictus. Quod nomen extremum significat. & in Coniectaneis incomparabilis *Scaliger à verbo finio deducit.* De fibris *Arist. lib. III. de partib. anim. cap. VI. & Apul. de Dogm. Plat. ad finem.* Cæterum quod in iecinore est vis concupiscendi, negat Persius illud sibi esse corneum; quod à corno malim quam à cornu deductum; idest, sic durum, vt humanis prorsus affectibus careat. & laudis dulcedine non ambitione præsertim conquisitæ, sed vltro, ob præclare aliquod scriptum delatæ non tangatur. *Iof. Scalig. in Etnam P. Cornelij Seueri*, illud carmen exponens.

Et lapis accertus regendis ignibus aptus

hunc locum citat, & declarat. Quæ de hominibus corneis *à Plin. dicuntur*, recte consideranti non videbuntur (opinor) ad hunc locum pertinere.

SED FINEM RE.

Stoica sententia sexcentis locis inculcata. *Virtutem se ipsa esse contentam*; neq; præter se aliud quidquam specta-re, & quamuis laudatorem nullum sortiatur, omni tamen laude dignissimam. Quam sequens Persius, negat virtutis, atque adeo honestarum actionum, sibi pro fine statuere inanis gloriæ lenocinium: Quod sui temporis factitasse poëtas *M. Aper. apud Tacitum Dialogo de Orat.* his verbis indicat. *Ne opinio quidem, & fama, cui soli seruiunt, & quod vnam esse precium omnis sui laboris fatentur; æque poetas quam oratores sequuntur.* Præclare *Sen. Non, si voluptatem prestatura est virtus, ideo propter hanc petitur, sed labor eius, quamuis aliud petat, hoc quoque assequitur. Et Franc. Petr. ad finem lib. III. de Sec. cur. consl. Ne gloriæ studium virtuti præferas identidem admonebo.* nam; *Illa vel inuitum, fugias licet, illa sequetur* Versus ex Aphrica eiusdem Petrarcæ, à D. Augustino ibi productus. *Plin. Secundus lib. I. Epist. ad Catilium* Seuerum de T. Aristone *Recteque facti, non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit.* & eodem libro *ad Pompeium Saturninum. Præterea meminimus, quanto maiore animo honestatis fructus, in conscientia, quam in fama reponatur, sequi enim gloria non appeti debet. nec, si casu aliquo non sequatur; idcirco quod gloriam non meruit, minus pulchrum est. Nam si amatores turpium voluptatum dum*

eas

eas percipiunt, nullum præter se requirunt testem; Quanto magis decet sapientiæ, verique amantem; dum in rebus honestis virtutis fruitur amplexibus, se ipso contentum lætari, nihilque laudantium curare plausus? Nam vt optime *Plutar. De profectu mor. Virtutis spectator non eget publico applausu, sed in somnis, & in ipsis rerum simulachris intimo fruitur rei feliciter gestæ aspectu.* Totum etiam *cap. IX. Sen. de Vita beata* huc referri potest. Quæ omnia quamquam vera sunt; nos tamen qui sapientes non sumus cupiditate gloriolæ titillamur, vt vere clauserit *Plin. secund.* primam *Epist. lib. V.* his verbis: *Neque enim sum tam sapiens, vt nihil mea intersit, an ijs quæ honeste fecisse me credo, testificatio quædam, & quasi præmium accedat.*

EVGE TVVM ET BELLE.

Verba acclamantium in laudem recitantis. *Horat. in Poet.*

——— *clamabit enim, pulchrè, bene, recte.*

Huius popularis fauentiæ præter acclamationes *Theod. Marcil.* in primis doctus, & in omnibus diligens, alia duo genera recenset; *Adsurrectionem, Et manus porrectionem.* Sed poterat etiam addere. Acre, & intentum silentium. *Plin. secund. Epist. X. lib. II. Imaginor enim, qui concursus; quæ admiratio; qui clamor; quod silentium; quo ego dico, vel recito non minus quam clamore delector, sit modo silentium acre, & intentum, & cupidum vlteriora audiendi.* Acre dixit, & intentum, quia si fuisset deses, & dissolutum, signum erat minus probari, quæ recitabantur. *Idem Plin. lib. VII. Epist. XVII. de Pōponio secundo Tragœdiarū scriptore.*

Si quid forte familiariter amicus tollendum, ipse retinendũ arbitrabatur, dicere solebat, *ad populum prouoco*. Atq; ita ex populi, vel silentio vel adsensu, aut suam, aut amicu sententiam sequebatur. Adsensum, cum opponat silentio, posuit pro acclamatione. Sequebatur enim Pomponius quod populus acclamando probabat; & id emendabat ad quod idem populus silebat; quia scilicet præseferebat silentium dissolutum. Deinde eòdem referenda sunt, quæ idem *Plin. Epist. III. lib. V.* loquens de vtilitate recitationis obseruandum admonet, vbi ait. *Quid quisque sentiat perspicio, ex vultu; oculis; nutu; murmure; quæ satis apertis notis iudicium, ab humanitate discernunt. id est, ex quibus facile intelligitur, vtrũ ne, ea officij causa fiant, an ex vero sensu prodeant*. De murmure *Cic. Act. II. in Verrem: Ipse, ait, Gn. Pompeius, cum primum concionem ad vrbem Cos. designatus habuit, vbi quod maxime spectari videbatur, ostendit se tribunitiam potestatem restiturum, factus est in eo strepitus, & grata concionis admurmuratio. Et Epist. I. lib. II. ad Q. Fratrem. Multa feci verba de toto furore P. Clodij, eumque tamquam reum accusaui, multis, & secundis admurmurationibus cuncti senatus. Negat Cic. III. de Orat. conducere oratori sibi nimium crebro acclamari Benè; Præclarè; Pulchrè; Festiuè; non potest melius. Quia si nimis sæpe dicatur, tota oratio bella est, atque præclara; ideoque quia nimis elucet, parit satietatem; fiat hoc igitur crebro, sed non nimis, & habeat oratio vmbram aliquam interiacentem, vt excellentiores loci magis elucescant, vt in picturis solet euenire. Videndus etiam Quintil. lib. IIX. cap. V. & cap. vlt. lib. IX. In publicis actionibus, si nimiæ viderentur accla-*

ma-

mationes, à Lictoribus comprimebantur. Suet. de Claris Rhet. De C. Albutio Silio. Et rursus in cognitione cædis Mediolani apud Lucium Pisonem Procos. defendens reum, cum cohiberent Lictores nimias laudantium voces ita excanduisset &c. Erat & acclamatio aduersa, de qua *sic Cic. II. de Orat. Et cum sint populares multi variiq; lapsus, vitanda est acclamatio aduersa populi.* Quam tamen ipse cum pro *C. Rabirio diceret* non vitauit. nam cum *Lucij Saturnini Tribuni Pleb. cædes non nullos commoueret, dixißetque orator: Vtinam hanc mihi facultatem causa concederet, vt possem hæc prædicare C. Rabirij manu L. Saturninum hostem pop. Rom. interfectum. verba illa quidam non æquis auribus ferentes, acclamationem non continuerunt.* Itaque statim subiungit. *Nihil me clamor iste commouet, sed consolatur, cum indicat esse quosdam ciues imperitos, sed non multos.* & paucis interiectis. *Quanto iam leuior est acclamatio, quin continetis vocem indicem stultitiæ vestræ, testem paucitatis?* Frustra admonemur à viro docto; Acclamationes fuisse in lætitia; conclamationes in mœrore. *Cic. Philip. VI. Cum vos vniuersi vna mente, atque voce iterum à me conseruatam remp. conclamastis.* Nulla certe hic mœstitia, sicut nec apud *Cæs. lib. sep. Conclamant equites sanctiß. iureiurando confirmari oportere.* & alibi *Conclamant omnes negotij benegerendi occasionem amittendam non esse.* Sed nec semper acclamatio in lætitia; nam, præter id quod superius in causa Rabiriana accidisse *Cic.* retuli, manifesto apparet *Ex Epist. tertia lib. 2. ad Q. Fratrem* his verbis. *Dixit Pompeius, siue voluit,*

luit; Nam vt surrexit; operæ clodianæ clamorem abstulerunt, idque ei perpetua oratione contigit, non modo, vt acclamatione, sed vt conuitio, & maledictis impediretur. Quæ lætitia in illa acclamatione. Quam moderationem retinere debeant auditores in acclamationibus copiose videbis apud *Plutar. de Auditoris officio*, vbi docet, *nimis parcam indicem esse penuriæ propriæ gloriæ, plus verò nimio facilem, aut assentatoris, aut certe impudentis, parumque idonei auditoris. Epitectus præcipiebat ne quis facile ad recitationes accederet, quod si accessisset grauitatem, & constantiam tueretur, & id vna caueret, ne cui esset molestus.*

EXCVTE TOTVM.

Excutere, hic, est accurate, & diligenter ęstimare, quasiq; manibus rem tractare. *Cic. pro Planco de populari blanditia. Procul apparet, non excutitur, non in manus sumitur. Et pro Murena Res peruulgata, atq; in manibus iactata, & excussa. Iuuen. etiam sexta.*

Si verum excutias, facies non vxor amatur.

Sen. Epist. XV. Excute te, & varie scrutare, & obserua; & paulò post. *Circunspicis, ecquid hæc Epistola munusculi attulerit, excute illam, & inuenies.* De varia huius verbi significatione vide *Non.*

TOTVM.

Quod nunc passim, nulloque discrimine recitantibus, acclamatur *Tò* enim *totum* hic valet, seorsum omnia quæ laudantur excutere.

QVID

QVID NON IN. HA.

Bene intus, quia, vt dicebat *Diogenes in assentatione veluti sepulcro quoppiam amicitiæ nomen inscriptum est;* decet autem Amicum simplicem habere animum, & aperte omnia proloqui; quod amicitiam ipsam à mundo repudiatam, & proinde exulantem, hospitique nupturam, ab eodem hospite petere fingit Cyrrus Theodorus his verbis

——— animum non habebis duplicem
Sed vt loqueris, ex animo sic senties?

cui respondet hospes. *Et maxime quidem.*

NON EST HIC IL. AT. EB. VER.

Proposuit generatim excutiendum E V G E illud; nunc quod cõmuniter dixit partitur in *Iliadem Attij, in Elegidia Procerum;* in ea quę lectis citreis scribuntur; pro quibus intelligi oportet, omnia quæ à primatibus, atq; adeò à Nerone ipso recitabantur. Huius igitur loci hæc est sententia; Visne intelligere quantum adulationis intus habeat tuum illud *Euge, & Belle;* considera, quibus poematis acclamentur. nonne etiam illud audit *Ilias Attij?* qua, quid ineptius? nonne *Elegidia Procerum.* quibus, quid crudius? nonne deniq; omnia, quę beati isti, lectis citreis scribunt. quibus, quid effœminatius? singula enim sunt efferenda per interrogationem. Nam hoc loco, Non; significat, non ne; negatiua enim interrogatio vim habet affirmandi. *Terent. Phorm. Non si redisset, pater ei veniam daret? Et sæpe Plautus.* P. etiam Cornelius Seuerus in Aetna.

Non animos æris flammis succumbere cernis?
Lentitiem plumbi?

In-

Interpretes veteres, & ex recentioribus duo, nullã hic agno scunt interrogationem, omnes hoc sensu, vel nõ admodum dissimili; *Hic*, ideſt in meis scriptis nihil similes reperies *Iliadi Labeonis, nec Elegidijs Procerum, nec ijs, quæ in lectis citreis scribuntur*, vt sit exemplum à dissimili. in quam fraudẽ aduxit illos vocula, *hic*, quæ isto loco non habet vim illam, quam ipsi opinati sunt. sed significat in hoc scriptorũ numero, quibus adulatores inepte laudes impertiunt. Nam, si vt illi, accipias, nec superioribus, nec sequentibus sententia cohęrebit. Superioribus quidem, quia iam fassus est Persius, per rarò aptum aliquid à se exire, quod si nũc in suis carminibus nihil simile aliorum nugis diceret, hoc significaret, omnia se aptius reliquis scribere. adde quod cum se semipaganũ dixerit, non videtur suæ esse modestię, ita magnificè nunc de se sentire. sed nihilo melius sequentibus conuenit, nam statim subiungit causam, cur vel ineptissimi poetæ audiãt *Euge, & Belle*, quia nimirum hinc inde, corrogatos, cęnis, & muneribus sibi obstringunt auditores; in quo latet vis argumentis à repugnantibus.

NON EST HI IL. A. E. VE.

Tale quiddam, quale indignatur Persius ineptissimis poetis accidere, vt omni infamia digni laudarẽtur, stomachatur etiam *Plin. secund.* Regulo cuidam pessimo Oratori obtigisse *Epist. sept. lib. IV.* *Exemplo est Regulus, imbecillum latus; os confusum; hæsitans lingua; tardissima inuentio; memoria nulla; nihil deniq; præter ingenium insanum. Et tamen, eò impudentia, ipsoq; illo furore peruenit; vt à plurimis Orator habeatur;* Itaque *Herennius Senetio mirificè Catonis illud de Ora-*

tore

tore in hunc, è contrario vertit. Orator est vir malus dicendi imperitus.

ATTI.

Fuit hic Attius poetaster quidam; ne quis suspicetur dici de *Attio Tragædiarum scriptore clarissimo*; sic enim vocat illũ *Quint.* de quo inferius poeta noster

——*quem sterucosus liber Atti.*

EBRIA VERAT.

Helleborosum, (qualẽ dixit *Trachalio Plautinus*;) significat *Attium fuisse*, cum Iliaden scripsit, & hic infęlicis ingenij, qui nullo naturę beneficio, carmina pãgeret; sed sumpto veratro vigorem mentis roboraret. *Plin.lib.XXV.cap.V.* Helleborum ait quondam fuisse terribile, postea tam promi scuum factum, vt plerique studiorum gratia, ad peruidenda acrius quæ commentarentur sumptitauerint. nascitur optimus in Antycira. *Ausonius ad Theonem* (vt vulgatũ illud *Horatij sileam.*)

Antyciram bibas Samij Lucumonis acumen.

Notus est mos *Carneadis Academici Helleborum sumentis*, quoties cum Zenone Stoico erat disputaturus. *Eunomum chium farmacopolam vno die viginti duas hellebori portiones sumpsisse, nec quidquam purgatum fuisse scripsit Hieronymus Mercur.lib.II.variarum lectionum cap.XXV.* vt ostenderet medicamentorũ vires in consuetis infirmiores, in aliquibus etiam ineficaces esse. *Conuulsionem ex Helleboro letalem esse, ait Hippocr.primo Aphor. cuius vim cohibere puluerem pumicis aceto subactam creditum fuisset refert idem Mercur.* loco iam citato. Helleborum vnde veratri nomen assum-

sumpserit docet *Ioseph. Scalig. ad carmen Ciris Virg.*

Hinc magico venerata Ioui Stygialia sacra.

Sic enim ille emẽdat, cum multo aliter in vulgatis exemplaribus legatur his verbis: *Sagæ mulieres,* quia profitebantur se vera dicturas *Veratrices dicebantur;* & quia pro insanis habebantur; ab eo Helleborum Veratrum, quòd eo insani purgabantur. Porro sagas dici solitas Veratrices constat ex *Apul. lib. IX. de Asino. Magnaq; (ait) curam requisitam Veratricem quandam fœminam, multis exorat precibus, multisque suffarcinat muneribus.* quid de hoc loco sentiat *Turneb.* videbis *Aduers. lib. XXVIII. cap. XXVI.*

ELEGIDIA.

Breues Elegias, sicut *Scaphidium Luciani,* parua scapha; ex quo apparet Procerum vanitas, qui tantulis scriptis laudem non solum venarentur, sed etiam emerent. quiq; ex culice (vt dicitur) Elephãtem facerent. quam simillimi pueris, qui ludicris quibusdam crepundijs adeò tumescunt, vt sibi regibus pares videantur. viris interim ridiculi.

CRVDI.

Stomacho, ægra concoctione laborãtes, propter extructas mensas, & frequentia pocula, & proinde ad frusta execulenta, quam ad fundenda carmina paratiores. hinc illud *Iuuen. Sat. I.*

——— cum tu deponis amictus

Turgidus, & crudum Pauonem in balnea portas.

In hos illud *Horatij* (quamquam alio sensu ab eo dictum) transferri potest. Hi versus *ructantur: vt de sordidis sordide.*

LE-

LECTIS SCRIBIT. IN CIT.

Lectos distinguũt, *in Cubiculares, Discubitorios, Triclinares; Lucubratorios*, putat *Doctiss. Casaub.* hos postremos hic à poeta significari, deque ijs se multa ait dixisse apud *Suet.* Ego igitur, vt idem credam primum facit tanti viri auctoritas, à quo dissentire est nihil prorsus sentire. Deinde, verbũ ipsum, scribimus, quod certè minus aptè cõuenit alijs lectis *Cœnant, ait Horatius, & carmina dictant* non scribunt. Lucubratorijs autem nihil aptius. nam quod dicitur à quodam assentatoria carmina tanto in pretio à Romanis habita, vt in lectis citreis inscriberẽt, nemini id puto Mercurialium persuaserit. *Badius quidem pro lectis istis lecticas intelligit*, non illas quibus circumferebãtur à seruis lecticarijs, sed lucubratorias; dicente *Suet. in Augusto cap. LXXIIX. A cœna se in lucubratoriam lecticulam recipiebat*, quæ eadem erat cum lecto lucubratorio. cæterum vt Proceres isti, ad vanam popularẽ auram aucupandã passim funditabant carmina; sic fuit moris doctorum virorum cum essent grauioribus curis soluti; idem facere animi relaxandi causa. *Plinius secund. Epist. XIV. libro IV. Accipies cum hac Epistola Hendecasyllabos nostros, quibus nos in vehiculo; in Balneo, inter cœnam oblectauimus.*

LECTIS CITREIS.

Inter pauca nitidioris vitæ instrumenta cedri materies fuit, sic prorsus, vt *Martial.* citream mensam aureæ præferat.

Accipe fælices Atlantica munera syluas
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Qua-

Quare *Lucan.lib.X.*cōuiuium Cleopatræ quo Cæſarem excepit celebrans ſic dixit.

Dentibus hinc niueis ſectos Atlantide ſylua
Impoſuere orbes, quales ad Cæſaris ora
Nec capto venere Iuba ———

Ideſt, quales non viderat in Mauritania, vbi citreas menſas ſummo artificio elaborant fœminę. *Plin.*confines ei Mauri, quibus plurima arbor cedri, & menſarum inſania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt *Mart. XII. ad Amenum.*

Et Mauruſiaci pondera rara citri.

Itaque *Cic.Ver.IV.* citreæ menſæ furtum, inter cætera Verri obijcit. non facturus, niſi magni fuiſſet pretij. *Tu (inquit) maximam, & pulcherrimam menſam citream à Q. Lutadio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio à L. Sulla ciuis Rom. factus eſt, omnibus ſcientibus Libilei abſtuliſti.* Cæterum, vt pretioſæ per ſe materiæ ornamentum adderent, citreas ipſas menſas Ebore fulciebant. Apparet ex ſupra citato loco Lucani, & confirmat *Martial. ad Publium lib. X.*

Vt ſpectem potius tuas lucernas
Et citrum vetus indicoſq; dentes?

Sed apertiſſime *Dio in Nerone* loquitur de Seneca. cui dixit *inter multa alia, hoc etiam crimini datum, quod diuitum calum nijs fuerit locupletatus; quod cedrinæ materiæ tripodas habuerit quingentos, eburneis pedibus æquales vniuerſos ſimileſque, ſuper quibus veſceretur. Lege cap. XV. libro XIII. Plin.* vbi videbis tanti interdum Romæ venditas fuiſſe menſas

ci-

citreas, quanti latifundium mercari licuisset, vt mirum non sit, Tiberium in literis quas ad Senatum misit de coercendo luxu publice, inter multa alia Tabularum etiam miracula recensuisset. Quantopere igitur admirabimur Liburnicas cedrinas C. Cæs. magna thermarum, porticuum, & Tricliniorum laxitate, quibus discumbens de die inter choros, & symphonias littora campaniæ peragrabat. Ex prolatis superius exemplis facile apparet materiam citream, & cedrinam eandem esse, & proinde inter citrum, & cedrum arbores nihil interesse, qua de re *Iacobus Cruquius ad Od. primam lib. IV. Horat.* multa differit. Est præterea citrius arbor, & ab ea citrium, quod vulgo malum medicum dicitur, cuius quæ cura habenda sit eleganter docet *Pontanus in hortis Hesperidum*, descripta prius fabulosa eius origine, quam quia refert ad Adonim in eam à Venere conuersum de illa sic dixit.

Crescit in patulas Aphrodisia citrius vmbras.
———— *calidum scis ponere sumen:*
Scis comitem horridulum trita donare lacerna:
Et, verum, inquis, amo; verum mihi dicite de me.
Qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi calue
Pinguis aqualiculus propenso sex qui pede extet.

Cũ audiuisset ambitiosus poeta acclamationes illas, quibus tãtopere ipse sibi placebat, tot ineptiarum esse plenas, vt ijs etiam vanissimę nugæ exciperentur, idq; negare nõ auderet, eius rei culpam trãsfert in recitatores ipsos, qui scilicet tanta ambitione tumerent, vt verũ ab auditoribus non possent audire; Sed ab inuitis potius laudes extorquerent. Ego inquit

quit non sum aliorum similis: Nam cum recitaturus amicos conuoco; profiteor illis verum me amare, rogoq; vt mihi verum dicant; ex quo fit, vt mihi non fictè, & adulatoriè, vt alijs, sed verè, rectoque iudicio, illiusmodi acclamationes fiant. at inquit Persius, priusquam illis profitearis, verum te, vt ais amare, & roges, vt tibi verum dicant, splendida cœna excipis, & muneribus donas: nec vides quantopere repugnet, ab illis auditoribus verum requirere quos, vt ait *Horat.*

Impensis cœnarum, & tritæ munere vestis

Fucris venatus; cui rei repugnat eiusdem *Horatij* præceptum.

Tu seu donaris, seu quid donare voles cui
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ, clamabit enim pulchre, bene, recte.

Recte admonet *Sen. de remedijs fortuitorum. Amicum inter liberales artes quære, inter honesta officia, in laboribus. ad mēsam res ista non quæritur.* & alibi. *Errat qui Amicum in Atrio quærit, in conuiuio probat. Menand. dicebat veritatem vni Deorum mensæ adhiberi solitam.* à cœnis igitur Neronis procul exulabat. ac non solum cœnis, togulis, lacernis, & similibus acclamantes sibi emebant auditores; sed etiam pecuniola. *Plin. secund. Epist. cui initium. Verum opinaris lib. secund. Heri duo nomenclatores mei (habebant sane ætatem eorum, qui nuper togas sumpserunt) ternis denarijs ad laudandum trahebantur, tanti constat, vt sis dißertißimus hoc pretio quamlibet numerosa subsellia implentur, hoc ingens corona colligitur. hoc infiniti clamores commouentur.* Vera igitur, & huc pertinentia, scri-

scripta sunt à *Panegyrico ad Calpurnium Pisonem.*

Sed lateri nullus comitem circundare quærit

Quem dat verus Amor, sed quẽ tulit impia neces,

Philippus ad Alexandrum filium. Quid te malum rationis in hanc spem induxit, vt eos tibi fideles sperares fore, quos pecunia corrumpisses? quæ cum animum à sua integritate auocet; mẽtem in discutiẽdo verò in transuersum agit, sicuti etiam facit nimius amor sui; & falsa sapientiæ persuasio, quibus vitijs Neronem laborasse ostendit.

S. V M E N.

Constat veteres factitasse sumẽ, ex papillis suillis vno die à partu sectis, & sale macefatis; idq; fuisse in delitijs, & præcipuum cęnarum condimentum. apparet tum alibi, tũ apud *Mart.* sæpe dictum putant sumen, à sue, & mãma, aut quasi Rumen à Ruma, quam veteres pro mamma vsurpabant, vnde subrumi agni lactantes. *Varro cap. I. lib. II. de re Rust. Obseruari oportet si parum lactis habet mater, vt subijciant subalternis mammam, qui appellantur subrumi,* ideſt sub mamma, antiquo enim vocabulo mamma Rumis, vt opinor. Dea etiam Rumina pueris lactentibus, & mulierũ mammis præerat. itaq; illi sacrum facientes; lac nõn vinum inspergebant hostiæ. *Sumen, & Abdomen idem esse credidit Plin.* quidam sic distinguunt, vt Abdomen sit à natura, suminis ars accedat.

H O R R I D V L V M.

Trementem. *Seru.* ad illud *tertij Georg. Leuibus horrescunt flabris.*

LACERNA.

Videndus *Lazarus Baiff. cap. VII. de re Vest.* tantum dicã Persium hic, non loqui de Lacerna militari; sed vrbana qua depellendi frigoris causa, vtebantur, cum spectaculis operã dabant, vnde *Mart.*

Amphitheatrales nos commendamur ad vsus
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

DE ME.

Petenda est huius loci continuatio hinc ad octauum carmen. *Quis populi sermo?* & septẽ interposita parenthesi claudenda. nam cum audiuisset Persius vanum Poëtam dicentem se verum amare, auditoresque hortantem, & verum dicerent, priusquam dicat: *Quis populi sermo est.* non potuit animi æstum comprimere, quare statim subiungit: *Qui pote?* idest quomodo fieri potest, vt ab ijs verum audias, quos varijs muneribus tibi obstrinxeris? Non sum nescius quid de hac voce, Poetæ, dicant *Diomed. Seru. Priscianus, Iunianus,* alij denique, sed nec plura, nec (opinor) meliora vspiam videbis quam apud *M. Anton. Muret. ad Epig. LXXI. Catulli ad Lesbiam.*

QVI POTE.

Quomodo est possibile? sic exponit Priscian. producens hunc locum, merito igitur negat Persius fieri posse, vt Nero habeat veraces conuiuas; nam sicut definit *Franciscus Piccolom. gradu IV. de virtute morali cap. XXIX. cum veritas sit mediocritas recte componens appetitum, vt in mutuis congressionibus, de rebus, vel ad eos, vel ad alios pertinentibus veritatem patefaciamus.* qui muneribus, vel spe præmiorum corruptũ

ptum habent appetitum, veritatis hostem palpum semper obstrudent. iure igitur *Cloto apud Lucian. in Dialogo cui est nomen Tyrannas Megapenthen Tyrannum ridet, qui sibi persuaserat cõuiuas viuo sibi serio laudes in se contulisse, doce tque, vel timore, vel præmiorum spe id factitasse.* quod si Nero aduertisset insaniam quam insaniebat vitasset. verè dixit *Seruus Atrei in Thyeste apud Senec.*

At qui fauoris veri gloriam petit
Animo magis quam vocem laudari volet.

VIS DICAM?

Qui nullis muneribus, nulla gratia sum corruptus, cuiusque iudicium sincerum verissimumq; erit. neq; enim quæstus causa ficte, & simulate aures tuas insusurabo, quod faciunt isti tui gnatones, aio te nugatorem, illudq; *Plautinum* in te transfero.

Aedepol nugatorem lepidũ, lepide isti tenacti sunt

totus hic locus plenus est contumeliarum, quia (vt scripsit *Lucilius ad Senecam contra ambitionem dicendum est contumeliose, & contra vitia aspere.*

CVM TIBI CALVE.

Causa nugarum colligit, ex corporis attributo, quod sit aqualiculo sesquipede propenso, constat enim ex sagina, & abdomine stuporem mentis oriri. & præter sapientum sententias huc perti nentes. Phisionomi id passim admonent. *Galen. quoque in libello: Num anima sequatur temperamentum corporis.* vt merito dixit *Cic. prima Tusc. magni referre quali in corpore animi sint locati. & Plin. eos ait esse minus so-*

lertes quibus obesissimus est venter, & notum illud. *Animus adipe, & pinguedine suffocatus sublime aliquid peruidere non potest. Quare Sen. lib. II. de ira cap. XX. Nec cibis pueri implendi sunt; distenduntur enim corpora, & animi cum corpore tumescunt. & Epist. XV. Adijce nūc, quod maiore corporis sarcina animus eliditur, & minus agilis est,* Agilem dixit, quem *Virg. celerem.*

Atq; animum celerem, nunc huc, nunc diuidit illuc

cuius rei ratio est, quod functiones animalium sequuntur potentias; potentiæ; instrumenta; instrumenta varietatem naturæ.

C A L V E.

Turnebus capitulo XXVI. libro XXIIX. Aduers. Caluum hic ait stultum significare. est qui existimet per Ironiam nomen boni poetæ illi tributum; fuit enim *Caluus Poeta, & Orator insignis.* Apparet ex eleganti *Phalec. Catulli,* cui initium.

Ni te plus oculis meis amarem
Iucundissime Calue ———

ne forte cum illis sentias, qui duos fuisse Caluos suspicati sunt, alterum poetam; Oratorem alterum. Alius deniq; putat Caluum vetulum significare, ac si diceret Persius; nugaris vetule. quod magis placet, video enim etiam superius dixisse; *Tunc cum ad canitiem, &*

Tun vetule auriculis alienis colligis escas?
& *En pallor seniumque* ——— & dicet inferius
Nil ne pudet capiti, non posse pericula cano
Pellere?

Fa-

Facile, vt appareat, maiorem eius indignationem, inde erũpere, quod senes non pudeat futilibus ineptijs studere; cum deberent potius, maiorum more, grauiora, seque digna amplecti, & vt re præsentes; sic exemplo posteros iuuare sed tunc

——— senibus quoq; libera virtus
Exciderat. Petron.

Caluitij deformitatem iniquissime tulit *Iul. Cæsar*, quod sæpe expertus esset obtrectatorum iocis obnoxiam; & Domitianus caluitio ita offendebatur, vt in contumeliam suam traheret, si cui alij, vel ioco, vel iurgio obiectaretur.

AQVALICVLVS.

Improprie hic accipitur pro pingui ventre, qualẽ habuisse Montanum ait *Iuuen.Sat.IV.*

Montani quoq; venter adest abdomine plenus.

quem imitatus est *Alciat.Embl.XCII.in Parasitum.*

Sic tibi propensus stat pingui abdomine venter.

propriè significat eam partem, in qua sordes recipiuntur. *Arist.lib.I.cap.XII.de hist.animal. Venter infra pectus est parte priore, eiusque radix vmbilicus est, cui radici pars subiecta in latus vtrumq; illa dicitur; qua autem recte subiungitur sumen est, siue Abdomen, cuius postremum aqualiculus.* quod confirmat *Ludouicus Vassæus Anotom. Medium*, ait, *spatiũ inter ilia, & pubem, vsq; sumen est, cuius postremum aqualiculus est. Seneca verò* pro aqualiculo stomachum accipit *Epist. XC.* his verbis. *cibus cum peruenit in ventrem, aqualiculi feruore concoquitur, tum demum corpori accedit.* quod multos alios facere, & iure facere docet *Hieronymus Mercur. libro VI. cap. I. va-*

riarum lectionum. ibique *Marcellum Empiricum* declarat, qui visum fuit *stomachum ab aqualiculo distinguere.*

PROPENSO SESQVIPEDE.

Vide Adag. *Subtile pectus, venter obesus non parit.* Ridiculum mendum irrepsit in *Cornutum* insuper hoc loco; vbi hęc verba habentur: *Cum habeas ventrem vltra sex pedes extensum.* Porro latenter hic etiam Nero designatur, fuit enim *ceruice obesa, & ventre proiecto. Suet.* Venit autem mihi hoc loco in mentem illud *Diogenis in Anaximenem. Impartire nobis pauperibus acqualiculum; nam, & ipse leuigaberis, & nobis emolumento eris. Obesis vsq; adeò infensus erat Epaminundas vt talem quēdam exercitu expulerit; quod vix tribus, quatuorue scutis venter illius tegi posset. Plut. Apophet.* & quoniā teste *Vegetio* inter cætera quæ requiruntur in optimo milite sunt, *vt sit lato pectore, & ventre modico: Galli iuuenem illum publicè multabant, qui Zonæ mensuram prominente ventre superaret. Strabo lib. IV.* similem nescio cuius corporis habitum eleganter alicubi descripsit *Carol. Sigon.* qui locus mihi illius scriptorum studioso, nunc facile in mentem venit. opinor esse ad finem longioris cuiusdam responsionis *in Francisc. Robort. scribit Laert. Pittacum Mytil. vulgo Gastroden, ventrosum dicit Plin. vocatum,* quod esset pingui aqualiculo. *Cic. pro A Cecina* testimonium Cesonij deridet, quod esset minus graue auctoritate, quam corpore. *Pythagoras* cum vidisset quendam ex discipulis dare operam, vt obesus esset *hic* (inquit) *non desinit sibi carcerem molestiorem struere.*

O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec linguæ quantum sitiat canis Appula tantum.
Vos ò Patricius sanguis, quos viuere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ
Quis Populi sermo est? quis enim nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, vt per leue seueros
Effundat iunctura vngues. sit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat vno;
Siue opus in mores, in luxum, in prandia regum,
Dicere res grandes nostro dat musa poetæ.

A tricis, quæ quibusdam sunt inextricabiles ad finem vsque parenthesis, breuiter me, & facile expedio. Primum vtitur dissimilium collatione, Iani, & Procerum. Deinde consilium dat ijsdem Proceribus, quo possint sibi cauere ab irrisoribus. Dissimilium collatio hæc. Non, sicut Ianus subsanantes à tergo videbat, sic de vobis licet idem dicere ò Proceres. in quos adulatores ipsi vestri, omni sannarum genere vtuntur. do igitur vobis hoc consilij, vt, cum sitis patricij, atque adeò nulla egestate, ad has ineptias compellamini, abstineatis ab huiusmodi recitationibus. quod si feceritis, sannæ, quæ vobis à tergo fit occurretis; & occipiti etiam cæco licebit viuere. Sed minor in ordine verborum, quàm in elliciendo sensu expositorũ varietas. mihi nulli addicto sic placet. O Iane, quem, pro in quem, contra quem, in cuius derisum nulla ciconia pinsit, à tergo, nec in quem manus mobilis imitata est auriculas albas, nec in quem, tãtum linguæ, intellige exertum est, quantum scilicet exerit canis Apula,

I 4 sitiat,

sitiat,pro si sitiat.nam quod aiunt, tò quē, regi à verbo pinsit,& vim habere patiendi;prorsus videri debet absurdum. neq; enim Ciconia, (quæ,quid sit mox declarabo) aliquem pinsebat, sed gestum pinsantis in eum faciebat, quem subsanabat.

O, IANE A, TERGO.

*Vetus intepres part. Orat.Cic.*vbi agitur de oratione obscura hæc scripsit. *Improprijs,& figuratis verbis oratio redditur obscura.Persius Sat.I.*

O Iane à tergo,quem nulla Ciconia pinsit.

Dilucida magis erat. *Ianus à tergo subsanantes videt Alciat. Embl.XVIII.*

Iane bifrons,qui iam transacta, futuraq; calles
Quiq; retro sannas (sicut,& ante) vides.

Ianum quidam diei, quidam anni dominum fingebant; illis erat bifrons,quod ortū,& solis occasum aspiceret.istis quadrifrons,quia quatuor anni tēporibus præesset.quadrifrontem Romæ fuisse sub monte Tarpeio ait. *M.Port.Cato ad finem fragmentorum.ex lib.Orig.*

NVLLA CICONIA PINSIT.

Gestum exprimit à tergo subsannantis; porrecto. n. indice,& reliqua manu in pugnum compressa,brachium motantes, in illum, quem irridebant videbantur pinsere;ducta translatione à pinsentibus panem; cumq; eo gestu collum Ciconiæ imitarentur, hoc genus sannæ ciconia dicebatur. *Georg. Anselmus ciuis meus lib. sept. in Galbam.*

Ac fronte perfricta inuocatus ad cœnas
Accurrit impudens Catillo, nec sannas

Ci-

Ciconiasq; abhorret vltimæ plebis.

Diomedes lib. primo. Pinso est apud Persium ambiguum. O Iane à tergo &c. pinsit an pinsat legendum sit.

NEC MANVS AVR.

Aliud genus sannæ; cum admoto pollice dextræ auri, manum expansam mouentes, aures asini imitabātur, quod nunc etiam vulgo fieri videmus à nostratibus pueris.

A L B A S.

Ouidius de Midæ auribus —— villisq; albentibus implet,
Instabilesq; illas facit, & dat posse moueri.

NE LINGVAE QVAN. SIT. &c.

Linguam exercere in aliquem, semper fuit irrisionis, & contemptus signum. & est tertium genus sannæ. *Liuius lib. sep. de Gallo* qui cum T. Manlio pugnauit. Armatum adornatumque aduersus Gallum stolide lætum, & (quoniam id quoque memoria dignum antiquis visum est) linguam etiam ob irrisu exerentem. Totum hunc locum, vt superius iterum admonebam expressit *Angel. Pol. quarto Hēdeca Syl. in Mabilium.* Verba *D. Augustini Epist. IV. ad Rusticum Monachum,* primum *à Io: Bap. Plautio,* deinde à non nullis alijs producta, mihi etiam religio est pręterire quæ hunc locum totum exprimunt. ait enim. *Ne credas adulatoribus tuis, immo irrisoribus aurem nec libenter accomodes, qui cum te adulationibus fouerint, & quodamodo impotem mentis effecerint, si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curuari; aut manu aures agitari asini; aut æstuantem canis protendi linguam.*

QVOS

QVOS VIVERE FAS EST OC. CAE.

Fas est, pro fas esset; equum esset; conueniret; pro ea, quam sustinetis persona. Viuere occipiti cæco, idest ita viuere, vt, ad euitandas subsannantium ciconias, non egeretis occipitio oculato. morum enim grauitas, & in gerendis rebus prudentia quæ maxime in vobis requiritur, nihil tale metuere deberet. itaque vt quales decet videamini. Posticę occurite samnę. Vel aliter. Quos viuere fas est, idest qui potestis; vt fas idem sit, quod esse potest, sicut nefas quod esse non potest. Exempla passim legentibus occurrunt. *Horat.*

Tu ne quæsieris scire nefas.

& alibi *Durum, sed lenius fit patientia*
Quidquid corrigere est nefas.

Lucanus primo ——— *quis iustius induit arma*
Scire nefas.

Et *Cæsar libro primo belli. Gal.* De sortibus, & vaticinationibus matrum fam. Germ. loquens. *Eas ita dicere non esse fas Germanos superare, si ante nouam lunam prælio contendissent.* pro eo quod est, non posse superare. Dicamus ergo Persiũ hoc posse etiam significare. Vos, ò patricius sanguis, potestis viuere immunes ab omni irrisione, & sanna, etiam si sitis occipiti cæco, nisi ipsi vos feceritis ridiculos; itaq; consulite posthac existimationi vestrę, & positę occurrite sannę, idest anteuertite sannas, quę vobis à tergo fiunt; quod feceritis, si recitationes istas vestras vanitatis, & ineptiarum plenas contempseritis. . Optimum dat illis consilium; sed non meminerat Persius quod olim dixerat *Crates Adcilatori talen-*

talenta quinque apponi; Consiliario fumum. Laert. Apelles pi-ctor Megabizo sibi assidenti, & nescio quid de vmbris, & lineis loqui conanti, vides inquit pueros istos Melitem colorem terrentes? hi tacentem te suspiciebant; purpuram; & aurum admirabantur; At ijdem nunc derident, postquam de ijs loqui cœperis quæ non didicisti. Plut. de Adul. & amici discrim. Hoc ipsum conueniret in Proceres istos. sed omnino verissimum est. perpaucis contingere, simul, & fœlicibus esse, & sapere.

QVIS POPVLI SERMO.

Recurre ad illud supra dictum; *Verum mihi dicite, de me quis populi sermo?* cui, quãtum poëta iste ambiciosus tribueret, declauit iam ante cum dixit

——— an erit qui velle recuset
Os populi meruisse? ———

Porro illorum hic vnus est, quos ex alienis iudicijs suspensa defatigat ambitio. *Sen. de breuit. vita cap. 11. Et cum quibus ne vmbra quidem veræ sapiẽtiæ habitat. iactatio enim ingenij insannientis animi est indicium.*

QVIS ENIM? NISI CAR.

Verba adulatoris, qui cognita Neronis ambitione, dicẽtis, *De me quis populi sermo?* summa omnia de illo prædicari dicit; scilicet nunc demum illo scribente, carmina fieri talia, qualia nemo superioris ætatis fecerit, idque sibi musarum afflatu contingere; vt de illo verũ sit, quod ait *Plato in Phædro, non hominum inuenta esse Poemata ad cælestia munera,* non in vna tãtum materia, sed in quauis etiam tragica. nam illud passim de illo verè vsurpari. *Dicere res grandes nostro dat musa poetæ,* vt non solum compositionis verborumque stru-

cturæ,

ćturæ,sed etiam argumēti laudem ferat. Enimuerò vbi *adulator, hominum genus publico exitio repertum, ait Tacitus, & melleo laqueo homines vinciens,vt Diogenes;in ambitiosum diuitem incidit,in omnibus illi primas tribuit;& quod omnium pessimum est,vitia virtutum nomine laudans,efficit, vt non modo non dolens, sed gaudens potius peccet, vitiaq; illū,quasi quædam fœlicitatis argumēta delectent, blanda semper salutaribus anteponens.* Ex quo licet intelligere quantum caliginis offundat humanis mentibus fęlicitas;vt nō immerito dixerit *Plato Epist.II.ad Dionys.opulentiam,& potestatem nihil perniciosius gignere adulatore.*vnde non obscure apparet Principum miseria;nam qui maximè firmis amicitijs fulciendi sunt,pro amicis plerumq; adulatores sortiuntur, quos idem *Plato in Phæd.Bestiam humano generi pestilentem,similemque impuro Dæmoni, ait, incautos animos sub noxiæ voluptatis esca continere corpore sordibus inquinati,& in Menex.Præstigatoribus veneficisq;persimilem, fure,& homicida deteriorem;tanto Circe peiorem, quanto grauius infert detrimentum, illa enim exteriora hominis in bestias, hic vero lenocinijs suis interiora transformat.* horum igitur sermonem verè quis dixerit lætale mulsum,gypsum melli miscēs;& quod ait *Socrates apud Plat. decimo de Rep.* de poetis concitatos affectus imitantibus,*pestem iucundam quidem,sed maxime uenenosam.*de qua hominum fęce, *quaglíscente deterrētur decora ingenia,ait Tacitus*,multa *Seneca in prefatione lib.IV.Quæst.Nat. & alibi;* sed plura *Athenæus lib.& cap.VI.*plurima verò *Hieronymus Osorius toto ferre lib.II.& III.de institutione, & disciplina regia. Adulatores scribit Plut.Dijs quidem omnibus,sed præser-*

tim

tim Pythio Apolini inuisos fuisse, quia semper illi repugnant Oraculo, *Nosce te ipsum*, in cuius loco inserunt: *Falle te ipsum*: quod fortunatis quibusdam ita serio persuadent, vt pestifero veneno imbuti, cũ se plus sapere, quã cęteros arbitrentur, bene admonentiũ consilia contẽnant; ex quo fit, vt nõ raro in omnẽ turpitudinẽ eant præcipites. recte *Theognis*.

Recti recta monent, prauos si audiueris, illi,
Quidquid habes mentis, fraudibus eripient.

quid aliud inquit, *Plutar. Neroni tragicum addidit ornamentum? quid personam? quid cothurnos induit? an non assentatorum laudatio?* præclare igitur Bias interrogatus, quod esset animal omnium noxium, respondit, *si de feris loqueris Tyrannus; si de mitibus adulator*: *Theocritus quoque dicebat, in montibus sæuissimas esse feras Vrsos, & Leones; in vrbibus vero Publicanos, & Adulatores*. quos, qui admittunt dicebat *Crates, esse, non secus ac sunt vituli inter Lupos*. Prudenter igitur fecit *Alex. Macedo*. cui per Hydaspen fluuium nauiganti cum Aristobolus librum legeret, quem de rebus illius gestis scripserat, in quo multa supra veri fidem, non dissimulata adulatione affinxerat, ille, ereptum è manibus librum in flumen demersit; & ad Aristobolum conuersus, *tu (inquit) dignior eras, qui eodem præcipitareris, qui me solum pugnantem facis, &, vel vno iaculo interficere Elephantem*. Laudabilis etiam Timõ apud Lucianum qui plagis excepit Demeam, impudentissime in illum falsas laudes conferentem.

Viri enim probi laudes vbi audiunt suas
Quodam solent laudantes odisse modo,
Si fors quis ipsos laudat immoderatius.

Sic

Sic vir doctus latine facit loqui Clytemnestram apud *Euripid. in Iphig.* ideo ingenuus adolescẽs Ctesipho apud *Terẽt. in Adelph. Ah vereor* (inquit) *coram in os te laudare, ne assentandi magis, quàm quod gratum habeam fecisse existimes.* sed vt nunc viuitur, comitas vocatur ipsa adulatio; & quæ maxime disiuncta sunt coniunguntur. quod non facit *Cic. in Lælio, qui assentationem vitiorum adiutricem vocat* & procul ab amicitia remouendam præcipit. Verum quis nunc illi præcepto paret?

Namque omnes voces, per quas iam tempore tanto
Mentimur dominis. hæc primum reperit ætas

Lucanus lib. IV. Quod si res Cæsaris agatur

Non cælum seruare licet tonat augure surdo.
Et lætæ iurantur aues Bubone sinistro.

Septem Axiomata Aulicademiæ, quæ à *Budeo ad finem lib. V. de Asse recensentur*, si huc transferantur, mire benè conuenient. Sed non omnes fortasse delectabunt ambiciosos. dixit *Lucret.* per angustum iter luctantes sanguinem sudare.

Proinde sine incassum defessi sanguine sudent
Angustum per iter Luctantes ambitionis

F L V E R E.

Translatum à fluminibus, quibus est facilis lapsus, & abundantia, vt per hoc intelligatur, miram esse sui poëtæ scribendo carmine facilitatem, & copiam; atque (quod ait *Horatius.*) diuitem venam, qui etiam Lucilium lutulentum fluere dixit. quod

——— *in hora, sæpe ducentos*

Vt

Vt magnum, versus dictabat stans pede in vno

Eadem translatione paullo tamen remotiore, vestimenta ampla luxuriosæque laxitatis, fluxa dixit *Lucanus lib. IIX.*

Illic, & laxas vestes, & fluxa virorum
Vestimenta vides. ———

Neq; fortasse hinc longe aberrauit mens virgilij, cum dixit

——— *pedes vestis defluxit ad imos.*

De Venere. *Ioan. Picus Mirand.* videtur, ex hoc loco sumpsisse laudem compositionis, quam tribuit scriptis vernaculis Laurentij Medicis *Epist. III. ad eundem Laurentium.*

VT PER LEVE SEVEROS.

Sicut duarum tabularum exacta coagmentatio vnguem superinductum non moratur, sed quam mollissime sinit effundi, ita carmina tua dicit populus molliter fluere, nihil vt lectorum aures, aut moretur, aut offendat. Porro vt tabularum iunctura peccat, si, aut hiat, aut inequalis, & male complanata subsilit, vtroque enim vitio vnguis per eam deductus hæret. sic vult intelligi adulator iste carmina Neronis, neque per vocalium concursum esse hiantia, neque per consonantium aspera, quod genus solutæ orationis vocat *Crassus. III. de Orat. Coagmentatum, & leue.* Vide *Anton. Lullum de Oratione cap. tertio lib. quinti.*

V N G V E S.

Columel. lib. XII. cap. II. ad vnguem dolare dixit. pro perpolire. *Materies inquit si roborea est ab vno fabro dolari ad vnguem debet, & rursus: Tum sexagenũ pedum abies atq; populus singulis operis ad vnguẽ quadratur.* Vide adagiũ. Ad vnguẽ.

Porro

Porro hæc scripsit *Arist. de partib. Animal. ex interpretatione Gazæ. Vngues etiam rectè natura molita est, quippe quæ ceteris animantibus, eos vel ad vsum alium dederit, homini autem operimenti tantum gratia excogitauerit, digitos enim extremos integunt. Galen.* tamen ad alios vsus datos docet. *lib. primo de vsu partium. cap. VII. & IIX.*

S C I T.

Quid de hoc loco sentiat *Turneb. videbis cap. XXVI. lib. XXVIII.* vbi manifesto errore Typographi, pro scit, legitur *Sæpe.*

R V B R I C A M.

Rubrica est duplex altera fabrilis qua lignarij vtuntur ad dirigenda ligna, quam intelligit hic Persius. De qua *Dioscorid. lib. V. cap. LXX.* & ibi multa *Matthiol.* Altera Sinopica de qua præter eundem *Dioscor. cap. sequenti* videndus *Plin. lib. XXXV. cap. VI.* qui eius tres facit species. & *Strab. lib. XII. & Vitru. lib. & cap. VII.* qui omnes consentiunt Sinopicam dici à Sinope vrbe in ponto, non quod apud eam effodiatur, sed quod in Capadocia eruta à mercatoribus Sinopem deferebatur.

D I R I G A T.

Verborum structuræ duplex est ordo; directus, & obliquus; ille dilucidam; hic non solum obscuram facit orationē sed scriptorem etiam arguit infantiæ: quod aliquantulum laborauerit impeditus in constructione. Quod vitium potest videri hic Persius eleganter notasse; nam quod ait illum sic carmen tendere ac solet Rubrica vno oculo dirigi, ironicè vult intelligi, obliquo euersoq; vti ordine, nec partibus

pro consecutionis ratione coniunctis. huic loco hanc subiectam esse sententiam existimat *Anton. Lullus cap. II. lib. V. de Oratione.*

IN MORES, IN LVX. IN PRAN. RE.

In mores sunt qui intelligant Comœdiam; In luxum satyram; In prandia Regum Tragędiam; quę expositio primum habuit auctorem *Cornutum*, siue quis sit alius Cornuti nomine. Sed quia pridem Romæ scriptio comœdiæ frigere cœperat; mores, & luxum refert *Casaub. ad Satyram.*

DAT MVSA.

Causa efficiens; quid mirum pro dignitate omnia illum tractare, si Musa dat illi cuncta posse? *sic Horatius. in Arte.*

Grais ingenium, grais dedit ore rotundo
Musa loqui ———

Ecce in modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos græce, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, vbi corbes,
Et focus, & porci, & fumosa Palilia fœno:
Vnde Remus, sulcoq; terens dentalia, Quinti
Dum trepida ante boues Dictatorem induit Vxor:
Et tua aratra Domum lictor tulit Euge poeta.

Nihil æque, & eloquentiam, & omne aliud studium, auribus dedictum vitiauit, quam popularis assensio. Sen. Epist. C II. Qui etiam XCIV. dixerat. Irritamentum omnium in quæ insanimus admirator est, & conscius. Quod vsu venire Proceribus hic ostendit poëta; qui adulatorum voculis tumentes, plus æquo facti sui amantes, & audaces virium suarum æsti-

matores,quas non proprio sensu, sed alienis Sycophantijs metiebantur,id oneris suscipiebant, quod nequaquam erãt ferendo: cum enim nec idonei essent artifices minimis rebus describendis:ita magnifice sentiebant de se, vt heroicas etiam materias tractare auderent. Itaque quoniam non potenter res eligebant, facundia illos statim, & lucidus ordo deserebat. Cum tamen interim non deessent Catillones, qui rudibus, & male tornatis versibus præclari poematis laudem impertirent, quia nimirum, in aulis Principum, (vt non festiuè minus, quam verè dixit vir doctus) *Veronenses pauci; Laudenses, & Placentini plerique*. Innotuerunt enim iam pridem artes ad magnos honores, & diuitias perueniendi à *Franciscus Petrarca, sub persona D. Augustini lib. II. de sec. cur. confl.* commemoratæ, quæ sunt istæ. *Ambiendi magnorum limina; blandiendi; fallendi; promittendi; mentiendi; simulandi; Grauia, & indigna patiendi.* hæc ille. sed quia collecta vitia per tot ætates diu in nos redundant. &

Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores———

Atque vt *Velleius, à rectis in vitia; à vitijs in praua, à prauis in præcipitia peruenitur*. verè enim dixit *Syllius; fæcundum in fraudes hominum genus*. Si nunc viueret Petrarca, cognosceret maxime procliue esse iter ad summa omnia illi hominum generi. quod ait *Tacit. lib. IV. Ann. publico exitio repertum, nec pœnis vnquam satis coercitum, per præmia ab ijs, qui illis delectantnr illectum*. id autem, quod nam sit docet *Plut. ad finem libelli de curiositate.*

HE-

HEROAS SENSVS.

Enallage, pro heroos; *Italorum insectator, heroas ait pro heroicas.* probe, heroicas sensus. quæ sint heroica argumenta *Horatius declarat.*

Res gestæ, regumque, ducumque, & tristia bella

quæ quam sit difficile pro dignitate tractare, idem indicauit *Ode sexta lib. primi.*

Quis martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit? aut puluere troiço
Nigrum Merionem? aut ope Palladis
Tydidem superis parem ———

quæ grauia, & tractatu perdificilia, cum aggredi non reformidarent inepti Proceres; ipsa audacia se artis expertes esse declarabant. *Hyppoc. Opusculo de lege.* Timiditas, & ignauia præ se impotentiam fert. Sed audacia, artis ignorationem. prudenter igitur admonebat *Epitectus, Vis esse luctator? aut Pintathlus? aspice brachia tua, aspice lumbos, aspice femora.*

AFFERRE VIDEMVS.

Casaub. ex Bongrasij codice legit. Afferre docemus; non hoc referens ad poetas ambitiosos, sed ad præposteram docendi rationem, qua tunc vtebantur Rhetores instituentes, rudes pueros in scholis grandia loqui. Non audeo tali viro refragari. Sed cum *Persius* de se dixerit.

Ad sacra vatum carmen affero nostrum

non erit fortasse absurdum, hic eadem significatione hoc verbum accipere, vt intelligamus: *Afferre videmus ad*

sacra vatum, vel in conuentum auditorum recitandi causa.

MODO.

Aut aduerbium est temporis, aut exclusionis; temporis, sic, videmus nugari solitos græce; modo; idest, nunc, afferre heroicos sensus. Exclusionis, sic, videmus afferre heroicos sensus; modo, idest tantum solitos nugari græcè; Sed omnino placet magis prior sensus; quamquam hic aliter expositioni *Casaub.* conuenit magis; qui etiam pro solitis nugari græce accipit pueros, vix dum primas literas doctos. quod ea ætate puerorum studia à græcis literis incipiebant. Sed nec potuit aliter, vt qui tuetur lectionem afferre docemus.

NVGARI SOLITOS GRAECE.

Solitos nugis græcis lectores turbare. *Non.* nugator nugis turbator quod vitium tribuit etiam *Horatius* græcis.

Vt primum positis nugari græcia bellis
Cœpit ———— ————

Vir doctus existimat hic intelligi Troica Neronis, cui si credimus, fateamur oportet, Troica illa non fuisse heroici argumenti, ait enim Persius, eos qui vix pridem nugabantur græce, nunc afferre heroicos sensus, nugæ igitur illæ græcanicæ nullum argumentum heroicum continebant, quod an verum sit viderit ipse. Mihi quidem placet referre, vel ad Epigrammata, quæ poeta ipsi vocitant nugas. *Mart.*

Nec tantum nugis seruiet ille meis.

Idem *Epist. quam præfixit lib. XII. & quod tibi difficilimum est de nugis nostris iudices nitore seposito. Et Auson.*

No-

Nostra simul certant varijs Epigrammata nugis

& alibi. *Accipe congestas mysteria friuola nugas.*

vel ad leuia quædam poemata rerum pondere destituta. *Horat.in Arte.* Quam versus inopes rerum nugæque canore. nec ea fortasse tota græce scripta; sed in quibus ad vanã doctrinæ ostentationem, græca inepte inculcarentur verba. quod, vt suspicer facit *Horat.* qui vlt.serm. quosdam inducit magnopere Lucilium admirantes, quòd hoc mixto scribendi genere vsus fuisset aiunt enim

At magnum fecit, quod verbis græca latinis
Miscuit ———

quod vitium Ciceronis ætate erat in multis, itaq; admonet, vel præcipit potius, ab eo cauendum *Prim.Tusc. Primo de fin. & Primo offic.* quid de hoc loco sentiat *Turneb.* poteris videre *cap.XXIV.lib.XVII.*

NEC PONERE LVC. ART.

Artifices ponere, figurate; sicut venter artifex sequi. Qui comprehensa tenet præcepta alicuius artis, Artifex dicitur, cui opponitur inscius. *Cic.III.Acad. Quam si subtraxeris, qui distingues artificem ab inscio?* Lucum autem posuit pro qualibet tenui materia *Horat. Cum lucus, & ara Dianæ*

NEC RVS SATVR. LAVD.

Eadem figura; Artifices laudare. rus saturum; rus fecundum *sic Virg.II.Georg.*

Saltus, & saturi, petito longinqua Tarenti.

Et *Angel. Polic.* sic rusticum suum exorditur.

Ruris *Opes saturi, gnauoq; agitata colono*
Munera ———

Et multo expressius *Sen.quæst.natur. lib.V.cap.XI. Locos ob humidam cœli naturam, saturos, & redundantes.* quem locum me prior citauit *Casaub.* potuit etiam posuisse, rus saturum, pro ipsa villa locuplete, & omnibus bonis abundante. qualem his verbis descripsit *Cic.de Sen. Villa quæ tota locuples est. abundat porco, hædo, agno, gallina, lacte, caseo, melle.*

VBI CORBES.

Si, quæ proximis quatuor subiectis carminibus continentur eo consilio dicuntur à Persio, vt doceat ruris saturi laudes ab ijs esse petẽdas ineptè nimirum fecisse videri potest, quid enim ieiunius, quam ruris fæcundi laudatorem minutula hæc, Corbes, focum, porcos, aut protritas Paliliorum, Remi, Cincinati historias sectari? spretis interim grauioribus, & nec vulgaribus argumentis, quæ duci possunt à Bacchi, Cereris, Pomonę, atq; aliarum ruris numinũ laudibus. à gregibus, armentis, fructuum copia; venatione, Aucupio, compluribusque alijs, quorum non pauca recenset *magnus poeta ad finem II.Georg. & Horat. secunda Epodo, & Cato præfatione de re Rustica.* Quid igitur? quæ mens Persij; eam aperit *Casaub.* qui admonet obseruãdum, Poetam hæc sigilatim ita recensere, vt certum aliquem suorum æqualium rideat; qui cum instituisset rus laudare, susceptum argumẽtum infęliciter tractans circa minima hæc immoraretur, enimuerò vir ille doctiss. scrutatur, & assequitur omnia.

CORBES.

Varro de lingua lat. libro IV. Corbes ab eo, quod spicas, aliudue quid corruebant. dixit aliudue; quia præter Messorias, de quibus *idem eodem loco, & lib.1.cap.L. De re Rustica. & Cic. pro*

Sex-

Sextio; Graccus Messoria se corbe contexit. Val. Max. de prodigijs etiam Messoribus apud cruentas spicas in corbem decidisse; quod ijsdem pene verbis repetit *Liuius principio lib. II. Erãt etiam pabulatoriæ receptaculum cibi armentorum: Colum. Erãt Vindimiatoriæ ad vuam colligendam. Varro de re Rustica. cap. XV. & LIV. lib. primi.* Corbulum neutri generis videtur posuisse *Suet. Nerone cap. XIX.* pro eo quod vulgo dicimus Zarletum, quo passim vtimur, ad effosam humũ alio transferendam. *In Achaia* (inquit) *Istruũ perfodere aggressus, Prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est, tubaq; signo dato primus rastello humum effodit. & corbulo congestam humeris extulit. Corbitas dictas fuisse naues onerarias auctor est Festus,* quod in malo earum summo, pro signo corbes solerent suspendi.

PORCI.

Immundi huius pecoris saginationem, qui de rebus rusticis scripserunt magno studio cõmendarunt, præter *Virg.* qui nihil huius meminit; id verò quamobrem fecerit docet *Germ. valens ad primum carmen III. Georg.* Illud plane constat, in tota re rustica nullum animal hoc vilius, ita, vt eius etiam custodes, in nullo pastoritio sermone, aut Bucolico negotio admittantur. quin Aegiptij hoc adeò abominati dicuntur, vt si quis, vel transiens contigisset continuo properaret ad flumen, se pariter, ac vestem abluturus. præcellit tamen hac prærogatiua, quod ab eo pecoris immolandi initium sumptum videri ait *Varro,* idque ex eo fieri verisimile, quod initijs Cereri, Porci immolarentur. Vnde *Ouid. V. Met.*

——————— & prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quod semina quando
Eruerit rostro, spemq; interceperit anni.

Et quod initijs pacis fœdera cum ferirentur, porcus occidebatur. & quod nuptiarum initio antiqui Reges, & sublimes viri in Hetruria in coniunctione nuptiali, noua nupta, & nouus maritus primum immolabant. accedat immunitas cuiusuis virulenti ictus, quem non sentit præter ictum Scorpionis in Scythia, quo interimitur, præcipue si sit nigri coloris. Addamus etiam prærogatiuam fæcunditatis ad hominum vtilitatem. *Cic. II. de Nat. Deorum. Sus verò quid habet præter escam? cui quidem ne putresceret, animam ipsam pro sale datam dixit Chrysippus.* qua pecude, quod erat ad vescen dum apta hominibus, nihil genuit Natura fæcundius. Apud Cretenses sacrum erat hoc animal, quoniam vix bene nato Ioui sus mammam submiserit, ac grunitu pueri vagitum audiri vetuerit, cur porcus hostia mystica vocaretur videbis apud *Turneb. lib. XXIX. cap. XXXII.*

P A L I L I A.

Dea Palis sacra. *Varro lib. V. de lingua lat. Palilia dicta à Pale, quod ei Deæ feriæ fiunt.* fiebāt autem Pridie eius diei, qui Vrbis natalis habitus fuit. *Plut. in Romulo;* Quidam non pridie, sed die ipso natali celebrari solita affirmant. idest XI. Cal. Maias. *hora* vt refert *C. Sempronius ex Taruntio, inter secundam, & tertiam; Sole in Tauro, Luna in Libra, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, & Ioue in Piscibus. Syderum tamen obseruationes in Vrbium initijs nequaquam verè obseruari potuisse docet Picus Mirand. cap. VI. lib. IX. Disputatio-*

tio-

tionem aduersus Astrol. Vtrum autem propter vrbis initia hunc diem consecrauerint, an in ipsum diem auspicato consulto reieccrint initium condendæ vrbis in incerto relinquit *Dionys.* Sed *Varro cap. I. lib. II. de re Rustica* affirmat consulto in diem illum sacrum reiectum fuisse. ait enim (loquens de Romulo, & Remo.) *Non ipsos quoque pastores fuisse obtinebit, qui Parilibus condidere vrbem?* Causam instituendi sacri copiose prosequitur *Ouid. IV. Fast.* Sũt qui nõ Palilia, sed Parilia malint, & sic non à Pale Dea, sed à pariendo dicta; vel quod eo tempore omnia sata, arbores, herbæq; parturiant; Vel, vt *Dionys. placet; quod ineunte vere, Agricolæ, Pastoresque grati pro partu quadrupedum sacra faciebant.* Vel denique à partu Iliæ, vt existimat *Solinus. Charisius etiam Palilia dicuntur, Pales enim Dea pastoralis est, cuius dies festus nisi quod quidam à partu Iliæ dicere maluerunt Parilia.* Virgilius Palis Deæ quater meminit *Ecloga V. Ipsa pales agros.* primo carmine *III. Georg.* & iterum eodem lib. Nunc veneranda Pales, & in *Culice.*

Et tibi sancta Pales ad quam ventura recurrit
Agrestum bona sors, cura secura.

Sic enim contra vulgatam lectionem, ex membrana Pithoei emendat *Iulius Cæsar Scaliger. Palem eandem esse cum Opi, Berecinthia, Rhea, Cybelle, Alma, & Magna Dea,* auctor est *Ioan. Boc. lib. III. cap. II. Geneal.* Palen pro palestra vsurpauit *Statius ad finem Achil.*

Iam procul Oebalios in nubila condere discos,
Et liquidem nudare Palen, & spargere cæstus
Ludus erat.

FVMOSA FOENO.

Quia Palilibus saliebant pastores per ardentes stipulas *Ouid. IV. Fast.*

Moxq; per ardentes stipulæ crepitantis aceruos
Traijcias celeri strenua membra pede.

Et iterum eodem libro.

Per flammas salijsse pecus, salijsse colonos,
Quod fit natali nunc quoq; Roma tuo.

Quin, & quo die Romulus auspicatus est administrationem Reip. iussit populũ piaculi causa per flammas salire. *Dionys. lib. I.*

SVLCOQVE TER. DENTAL.

Virg. I. Georg. formam aratri describens

———*duplici aptantur dentalia dorso.*

Vbi *Seru.* Dentale est lignum in quod includitur vomer. hic pro ipso vomere accipitur, sicut apud *Varronẽ IV. de lingua lat. Rastri quibus dentalibus pœnitus eradunt terram, atque eruunt, à quo, & rutabri* dicti. hunc dentem aratri vocat *Colum. lib. II. cap. IV. Agri* (ait) *qui siccitatibus aruerunt expediri probe non possunt. nam, vel respuitur duritia soli dens aratris vel si qua parte, &c.* Dentalia ruricoli dentes *Lucano lib. sept.*

Pluraq; ruricolis feriuntur dentibus ossa.

vbi *Ouidium imitatus.*

Semisepulta virum curuis feriuntur aratris
Ossa———

sicut hoc loco *Persius Virgilium*

———*& sulco attritus splendescere vomer.*

QVINTI.

L. Quintium Cincinnatum intelligit. qui dictator creatus Nautio, & Minutio Coss. Aequos hostes, qui consulem Minutium in monte Algido circumuētum cum exercitu tenebant, sub iugum misit, deque ijs triumphauit tantaq; celeritate rē confecit, vt decimo sexto die, Dictatura abdicauerit. *Liuius lib. III. & Dionys. X.* De quo etiam hæc scripsit *Colum. præfatione lib. primi. Ex rusticatione Quintius Cincinnatus, obsessi consulis, & exercitus liberator, & ab aratro vocatus ad Dictaturam venit. Et Veget. cap. III. lib. I. Idē bellator, idem Agricola, genera tantum mutabat armorū, quod vsque adeò verum est, vt aranti Q. Cincinnato viro optimo Dictaturam cōstet esse oblatam.*

VXOR TREPIDA.

Liuius, Togam propere, e tugurio proferre vxorem Raciliam iubet. vide *Plin. lib. XIIX. cap. III.*

LICTOR.

De Lictoribus copiose *Lipsius Electorum lib. primo cap. XXIII.*.

EVGE POETA.

Quidam sic accipiunt; In leuioribus ijs quæ modo dixi de saturo rure, si bene te gesseris, spondeo me tibi acclamaturum. Euge Poeta. Alij asserunt Persium significare, tam ineptum carmen recitatum magnos plausus retulisse. Alij aliter; Ego Ironiam esse puto superiora respicientem hoc modo: Euge qui te heroicum poetam facis, cum ne prima quidem poetices rudimenta attigeris, vt respexerit illud *Horatij*.

De

Descriptas seruare vices, operumq; colores
Cur ego, si nequeo, ignoroq; poeta salutor?

affectabant enim nonnulli poetæ nomine salutari. vnde ibidem idem *Horatius*

Nanciscetur enim precium nomenq; poetæ

Erit igitur hoc loco, *Euge*, interiectio approbare simulantis, sicut paulo inferius.

—— Euge omnes, omnes bene miræ eritis res.
Est nunc Briseis quem venosus liber Acci
Sunt quos Pacuuiusq; & verrucosa moretur
Antiopa; ærumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas quæris ne, vnde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? vnde istud dedecus, in quo
Trossulus exultat tibi per subsellia leuis?
Nil ne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere? quin tepidum hoc optes audire? Decenter.

EST NVNC BRISEIS.

In quos scopulos impingant, qui vela pãdunt inanissimæ adulationis auræ superius docuit; Nunc fucatam quorundam vanitatem irridet; qui verba antiqua ita studiose sectantur, vt in delitijs habeant Attium, & Pacuuium vetustissimos poetas; reliquos fastidiant. quorum ineptijs effectum ait, vt sartago loquendi venerit in linguas. Audiant hæc, qui tum demum sibi maxime placent, seque alijs venditant, cum verba ab ipsis vsque saliorum carminibus repetunt; ad quæ intelligenda opus sit interprete Carmenta Euandri matre, idq; tam crebro faciunt, & studiose affectant, vt nihil sit

puti-

putidius; aliosque id facere negligentes conuitijs (si Musis placet) vrgeant, & grauiter verberent. Ego autem satis mirari non queo, vnde hoc sit tam insolens domesticorum ver borum fastidium. placet mihi *Fauorini consilium; Viue moribus præteritis, loquere verbis præsentibus.* At minima (inquiunt) inter curas nostras verborum cura: Ita ne? At ego scio semper magnam fuisse doctis viris qui latine scripserũt. Res enim bonas verbis electis, grauiter ornateq; dictatas, quis non leget? *Cic. I. de Finib. qui etiam III. de Orat. sub persona Crassi* hęc scripsit. *Maior me aliquanto in verbis, quam in sententijs eligendis labor; & cura torquet; Verentem, ne, si paulo obsoletior fuerit oratio, non digna expectatione, & silentio fuisse videatur*, & non ita multis interiectis. *Neque tamen erit vtendum verbis ijs, quibus iam consuetudo nostra non vtitur. Et mox Qui in veteribus erit scriptis studiose & multum volutatus, vsitatis poterit vti, vt lectissimis, & in Bruto. Sed maiori honore in omnibus artibus, quam in hac vna dicendi ver satur antiquitas.* quid igitur somniat isti sermonis vsitati quasi emendatores? & vt ait *Adrian. Cardinal. Simij L. Sisenæ*, de quo hæc *Cic. in Bruto. Fuit Rufius accusator vetus, quo accusante Chirtilium Sisena defendens dixit, quædam eius sputalica esse crimina. Tum C. Rufius circumuenior inquit Iudices nisi subuenitis. Sisena quid dicis nescio, metuo insidias. Sputalica? quid hoc est? sputa quid sit scio, lica nescio: maximus risus. Sed ille tamen familiaris meus, rectè putabat loqui, inusitate loqui.* hæc Cic. qui alibi dixit: *esse pene ridiculum malle sermonem, quo locuti sunt homines, quam quo loquuntur.* At dicent Simij Sisenæ, *Quintil. dixisse antiquitatem dare digni-*

tatem

tatem verbis; idem tamen admonet ne ex vltimis tenebris ea repetamus;atq; ijs tandem vtamur,si non appareat affe-ctatio. Sed viderint alij, per me equidem sint omnia protinus alba; vel si verba renascantur Sabinis ab vsq; curibus, vt dixit ille,vix illis nota qui Faunorum, & Aboriginum ius didicerant.

B R I S E I S.

Textus Parisiens. rectè habet *Briseis*, *non Brisei*. secutus *Ioan. Scopæ emendationem*, cuius verba, quia hunc locum illustrant libet apponere, sunt igitur hæc. *Legitur in Persio; Est nunc, Brisei quem venosus liber Atti; quo in loco interpretes omnes sic legunt; & exponunt, Attij Brisei, idest Bacchici, Poetæ namquæ sunt in tutella Bacchi. nos autem non Brisei, sed Briseis esse legendum, vt ad Briseidos historiam referatur contendimus: ducor enim hac ratione quod sequens satirici carmen est*

Sunt quos Pacuuius, & verucosa moretur
Antiopa ———

inquit poeta sunt qui delectantur legere Antiopam Tragædiam à Pacuuio scriptam; frustra namquæ Antiopam nominasset, nisi prius Briseida posuisset. Hæc ille. cui certe debemus acceptum referre huius loci germanum sensum. *Turneb.* non recedit à lectione vulgata, nouam tamen expositionis causam affert: Quod nimirum Bacchanalibus, Athenis agerentur Comœdiæ, & Tragœdiæ; sed eadem ratione, Comici, Tragiciq; omnes Brisei dici potuerunt. quis autem feret Plautum, Terentium, Senecam Briseios vocantem? Quod si Brisei, (quod non probo) malueris; caue saltem, ne te eo-

rum auferat sententia, qui credunt, dici Attium Briseium, ad differentiam Attij Labeonis de quo supra

——— ——— *non est hic Ilias Atti.*

Quis enim tam hospes, & in literis peregrinus, cui fieret verisimile Persium, Attium, Labeonem imperante Nerone ineptissimum poetam, & Pacuuium antiquissimum coniunxisse? præsertim cum videamus frequentissime à scriptoribus. Attij illius antiqui, & Pacuuij simul fieri mentionem? *Cic. Ennio delector* dicet quispiam, Pacuuio inquit alius, fac alius Attio. *Tertio etiam de Oratore. Atq; id primum in poetis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus, quã sint inter se Ennius Pacuuius, Attiusque dissimiles, & de op. gen. Orat. Statim post Pacuuium*; quem genere distinguit à Cæcilio, nominat *Attium.* & *Horatius*

——— ——— *aufert*

Pacuuius docti famam senis, Attius alti.

Quintil. Attius, & Pacuuius optimi sunt Tragici, sed antiqui nimis. & lib. X. cap. I. Virium tamen Attio plus tribuunt, Pacuuium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt. Martialis etiam

Attonitusq; legis, terrai, frugiferai
Attius, & quidquid, Pacuuiusq; vomunt.

Nemo igitur nisi ineptissimus, hic Attium Labeonem accipere posset.

VENOSVS LIBER.

Tumidus, inflatus, vel potius, succi, & virium plenus; dicente *Velleio. lib. II. plus limæ fuisse in græcis, in Attio plus sanguinis. Quintil. etiam Virium plus Attio tribuunt.* Alij

acci-

accipiunt. Venosum, pro difficili, deformi inęquali, tortuoso, & horrido. Alij pro venis inflato, quasi Bacchi furore. Sunt deniq; qui translatum dicunt à Lucidis gemmis, quarum pretiosiores sunt sine venis; quod est ridiculum. Porro, quod Tragœdiam vnam, librum vocat, videtur poetam, loquacitatis taxare.

VERVCOSA.

Aspera. *Horat. Sat. III. lib. I.*

Qui ne tuberibus proprijs offendat amicum
Postulat, ignoscat verucis illius ———

Damnat in Attio tumorem, in Pacuuio scabritiem, quorũ vtrumque vitium verborum & non rerum; Et sunt ex Philologis, qui de verbis nihil laborant, satis est inquiunt sententiam esse bonam; sed me comprimo ne bis idem reponã. De Pacuuio *Cic. in Brutto. Nam illorum æquales Cæcilium, & Pacuuium male locutos videmus. De vtroque Tacit. Dialogo de Oratoribus. Exercetur etiam ab Oratore Poeticus decor, non Attij, aut Pacuuij veterno inquinatus.* Quod vitium *temporibus potius, quam illorum culpæ adscribit Quintil.*

ANTIOPA.

Cic. prima pagella primi de Finib. Quis enim tam inimicus pene nomini romano, qui Ennij Medeam, aut Antiopam Pacuuij, spernat, aut reijciat? nec spernendas, nec reiciendas censuit propter sententias; verba enim si spectarentur, *Cic. ipso teste, satis constat vtrumque malè locutum.*

AERVMNIS COR LVCT. FVL.

Verba Pacuuianæ Antiopæ; producta à Persio, vt intelligatur, quantum sit in tota illa fabula asperitatis, quæ in vno

nec integro carmine tot habeat verrucas. quas cupio mihi per æquum lectorem concedi paulo attentius inspicere, neque interim putide videri fecisse. Duas itaque in compositione, siue vt *Quintil. structura* reperio, & vnam in Translatione. Prima est in τὸ *Aerumnas*; ab Ae, quæ leniter ad R, sequente præsertim V, ita aspere, pelli spiritum, vt manifesta appareat repercussio. quod vitium agnoscit etiam vir doctus in dictione *Solstitium*; in Melibeo *Virg.*

Solstitium pecori defendite ———

est enim repercussio ab L, ad S, Proxima verruca est, in quatuor consonantibus continuis, S, C, R, L. Aerumnis cor luctificabile, quæ compositio semper est *aspera, & deformiter*, vt ait *Quintil. sonat*; Quod non latuit etiam *Georg. Trapez. qui lib. V. cap. de Magnitudine* hæc scripsit *Præterea earum literarum coniunctio, quas vna voce efferre non queas; hoc est, quarum compositio difficilem pronuntiationem facit, asperam reddit orationem.* Quia nimirum vt ait *Quintil. nos intersistere indecenter* cogit, atque eo magis cum asperæ sunt consonantes, quales R, & S, quarum illa caninum nescio quid; altera agrestem sibilum sonat. Venio ad verrucam translationis in voce, *fulta.* quam non *audacem modo, & absurdam sed etiam temerariam vocat Turneb.* neque docet tamen, vbi tanta temeritas appareat. Ego ex eo puto, quod fulcire cum transfertur, semper habet auxilij significationem; hic autem miseriarum omnium cumulum repræsentat. significat enim cor habuisse miserijs erutum. Erumnam enim ex eo dici credidit *Ennius quod mentem eruat, refert Charisius lib. primo.* Multos videre est in transla-

tionum in sequentia, vt loquitur *Quint.* etiam in soluta oratione magis prodigialiter peccare quam qui

Delphinum Syluis appingit fluctibus aprum.

in tantum; vt viderim, qui faciat medullas volare; & flores viridarij segetem spicis vberibus fudisse.

LVCTIFICABILE.

Luctuosum, sicut Lucret. *Erumnabile lib. VI.*

Illud in his rebus miserandum, & magnopere vnum
Aerumnabile erat ———

Idest Aerumnosum. Aiunt etiam *Lucilium dixisse monstrificabile* pro monstroso. Non igitur illum audies, qui luctificabile exponit, aptum ad mouendum luctum.

HOS MONITVS PVERI.

Mirabitur quispiam vnde nam hæc miscella venerit in sermonem, cum patrum stultitia puerorum aures obsoletis vocibus assidue personent, vere *Iuuenal. Sat. XIV.*

——— ——— *velocius, & citius nos*
Corrumpunt vitiorum exempla domestica — *sapit nimirum ait Seneca, quisque quod didicit.* Quod etiam si optimum fuerit, tamen, teste *Quintil. facile mutatur in peius.* ergo quando in bonum verteris vitia? Ergo qua reprehensione digni sunt patres, qui didiscenda docent filios? In quos illud conuenit, quod *D. Augustino tribuit Franc. Petrarca lib. I. de sec. cur. confl.* his verbis, *Vobis vtinam solis, vestra noceret infantia, & non nobilissima sæpe adolescentium ingenia corrupisset.* Refer etiam huc quæ scripsit *Quintil. lib. II.* vbi docet qui primi auctores pueris sint le-

gendi

gendi: *Duo* (inquit) *genera maxime cauenda pueris puto vnū ne quis eos antiquitatis nimius admirator, in Gracchorū, Catonisque, & aliorum similium lectione durescere velit; fient enim horridi, atque ieiuni; Nam, neque vim eorum adhuc intellectu consequentur, & Elocutione, quæ tum sine dubio, erat optima, sed nostris temporibus aliena contenti similes sibi magnis viris videbuntur.* Scripsit etiam *Suet. de Gram. Læneum Pompei Mag. libertum Sallustio obiecisse, quod priscorum verborum fur eßet, & proinde in scriptis Monstrosus.* vnde illud

Et verba antiqui multum furate catonis
Crispe Iugurtinæ conditor historiæ. A

Quare merito eos ridet *Seneca, qui duodecim tabulas loquuntur quibusque Gracchus, & Crassus, & Curio nimis culti; & recentes sunt. Ad Appium vsque, & Coruncanum redeunt* & vt *Quintil.* afferit, *ad saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta.* quod nunc quosdam factitare qui recentia scripta legerit facile intelligit, de quibus idem *Quintil. Abolita, atq; abrogata verba retinere insolentiæ cuiusdam est, & friuolæ in paruis iactantiæ;* atq; alius vir doctus *puerilem vocat affectationem.* Legebam heri hæc verba in Satyra Menipea Lipsij. *Quærunt isti ab Ennio vsque, & Pacuuio demortua verba, ex qua farragine, si quid possunt assuere, næ illi germam id censent, & quasi in pretexta purpuræ clauum;* cum tamen ipse illiusmodi quam vocat farragineni non semper vitauerit.

MONITVS.

Vide *Seruium ad illud X. Aen.*

At Iouis interea monitis Mezentius ardens

LIPPOS.

Lippus est, cuius oculi, pituita quadam mordicante, non extrinseca tantum causa, sed interiore, & interdum etiã cæca male affecti sunt. Sæpe, vt hoc loco, quod est corporis vitium ad animum transfertur. qui tum lippit, cum parum attente, quæ maxime oportet animaduertit. quod vitium; senes; in quos hic inuehitur poeta, in primis dedecet. *Debet enim tum mentis oculus acute cernere, cum primum corporis oculus deflorescit. Alcibiades in conuiuio laudans Socratem.*

INFVNDERE.

Apta translatio; quod puerorum ingenia sint tamquam vasa angustiorificij; in quæ doctoris præcepta liquoris instar infundantur. *Cic. prima Tusc. Vtrum capacitatem aliquã in animo putamus esse, quo tamquam in aliquod vas, & quæ meminimus infundantur?*

SARTAGO LOQVENDI.

Orationem intelligit, quam obsoleta verba infuscauerit. *Cic. in Bruto. Nec eos aliqua barbaries domestica infuscauerat.* Quod dicendi scribendiue genus, perinde atque sartago, stridens, auribus optimorum auctorum lectione tritis obstrepit in quo *Quintil. lib. IIX. cap. III.* tale monstrum agnoscit quale finxit *Horat. Principio Poetices.*

ISTVD DEDECVS.

Ita Romanæ linguæ labes, quæ illi hærere sine dedecore non potest.

LEVIS TROSSVLVS.

Pro Trossulo non raro est videre, significari quẽlibet de grege delicatorũ. *Sen. Epist. LXXVI. Quid ergo? idem faciam*

quod Troſſuli, & iuuenes? & ſequenti Epiſt. loquens de Catone *Cenſ. cantherio hippoperis impoſitis vecto. O quam vellem illi nunc occurrere aliquem ex his Troſſulis in via diuitibus; Curſores, & Numidas, & multum ante ſe pulueris agentem.* De Troſſulorum varia appellatione. *Plin. Feſt. Alex. Neap,* & alij, ſed præſertim *Lipſ. cap. I. lib. II. Elect.* Non puto hic deſignari ſigillatim aliquem ex numero equitum, vt Viro docto placet, ſed Troſſulum poni pro quouis Diuite, nitido, & bene cutem curato. Non: ex ſeſquiulyſſe *Var. Nunc emunt Troſſuli nardo nitidi, vulgò, Attico Talento equum.* Porro qui læuem Troſſulum pro glabro interpretatur, & ad turpia detorquet, nihil plane dicit.

EXVLTAT TIBI PER SVB.

Vtrum ne ait; Troſſulus in honorem tui recitãtis exultat per ſubſellia, ſicut ſuperius, Ingentes trepidare Titos. An potius Troſſulus ipſe recitans, te adulãte exultat per ſubſellia. Hoc puto. Solebãt enim recitãtes tantiſper, dũ deferuerent acclamationes breuia aliquot ſpatia per ſubſellia conficere, aut in aurem alicuius proxime ſtantis inſuſurrare. Et quos minus ineptiarum pudebat, interdum cum ſodalibus iocari. quæ omnia poſſumus ſuſpicari hunc Troſſulum feciſſe, & ita intemperanter feciſſe, vt non ambularet decore expectans finẽ acclamationis, ſed prę gaudio diſipiens exultaret, nec ſe loco continere poſſet, non abſimilis illi Antiſophiſtę, quẽ vrbane interrogauit Flauius Virginius quot millia paſſuũ declamaſset. Quod dixi de Ambulatione, inſuſurratione, ioco, didici ex *Quintil.* cuius hęc sũt verba (*Cap. de Pronuntiatione. Conueniens ambulatio quædam propter immo-*

dicas laudantium moras. Conueniens ăit, *sed in Trosculo erat non conueniens*, quod voluit intelligi ex verbo, Exultat. significat enim supra modum exilire, & afferri. *Catull. ad Lesbiam*

Otio exultas, nimiumq; gestis.

Et Cic. I. off. Nam qui appetitus longius euagantur, et tamquã exultantes &c. hi sine dubio finem, & modum transcunt. Sed redeo ad *Quintil.* qui aliquanto post subiungit. *Vnde moueor, vt ne id quidem transeam, ineptissime fieri, cum inter moras laudantium, aut in aurem alicuius loquuntur, aut cum sodalibus iocantur.* Ac ne quis mihi obijciat hęc dici de Oratoribus; pręcepta enim decore actionis communia sunt, poetis, & Oratoribus. Quid enim fecissent aliud cordati poetæ recitantes, acclamante multitudine, quam cum dignitate per subsellia ambulare? porrò subsellia, à recitaturis conducebantur, & pro tempore auditoribus substernebantur, de quo more *Iuuenal. Sat. VII. Sordes Diuitum taxans.*

Nemo dabit Regum quanti subselia constant
Et quæ conducto pendent Anabathra tigillo
Quæq; reportandis posita est, Orchestra cathedris

Et Tacitus Dialogo de Orat. loquitur M. Aper. de Basso poeta. Quorum tamen hic est exitus, vt cum toto anno per omnes dies magna noctium parte vnum librum excudit, & lucubrauit, rogare vltro, & ambire cogatur; vt sint qui dignentur audire; & ne id quidem gratis; nam, & domum mutuatur; & auditorium extruit; & subsellia conducit; et libellos dispergit, vt beatissimus recitationum eius euentus sequatur. Sed & Oratores etiam interdum subsellia transferebant; ne quis existimet hunc morem solis fuisse poetis. *Quintil. lib. X. cap. V. Portium latro-*

nem ait cum ei in forò causa esset agenda, *inpense petijsse, vt subsellia in Basilicam transferrentur.*

NIL NE PVDET CAPITI. &c.

Verba indignationis plena; quod Trosulus aduersus ætatem stultus, *& capitis canitudinem, vt cum Plauto dicam; & cum Seneca, à quo obijerit pueritia, & remanserit puerilitas;* & vt idem alibi, *cuius pueriles adhuc animos senectus opprimit;* nesciat veras laudes, à fictis internoscere; & sic existimationi suæ præcauere, quæ semper illi in lubrico versatur propter adulatorum voculas. ego enim pro periculo capitis, hic, accipio periculum existimationis. præ muniunt hanc expositionem exempla, quæ sunt *in Quintiana multa*. Scio *Paullum Manat. lib. Antiq. Roman.* vbi agit de Iudicijs capitalibus mihi reclamare. ait enim. *Repugnat vetus loquendi consuetudo, nec huius generis exempla licet inuenire, vt caput pro existimatione vsurpetur:* Sed scio etiam, eundem in Quintianæ quam dixi argumento hæc scripsisse. *Priuata causa est, sed capitis ideo dicitur quia damnatum infamia sequebatur.* Et verba illa exponens eiusdem Orationis. *Vt aut ipse capitis damnaret* hæc scripsit, *Ipse sibi existimationem adimeret,* & iterũ ad illa verba; *Aut causã capitis priore loco diceret, causa* inquit *in qua ageretur existimatio.* Cæterũ, quoniã caput pro vno aliquo ciue Rom. interdum vsurpatur, vnde tot capita censa dicebãtur, quot ciues in publicas tabulas à censoribus essent relati. quoniamq; turpi iudicio damnatorum capita à Censoribus tribu mouebantur, & in ceritum tabulas relata, ius suffragij amittebant, sicque de Ciuitate quasi sublati videbantur. hinc factum creditur, vt, quæ iudicia ca-

piti, ideſt ciui alicui infamiæ notam inurebant, iudicia etiam capitis aliquando vocarentur; capitis dico non capitalia, quæ quomodo diſtinguantur docet *Manut. loco ſuperius citato*.

DECENTER.

Vox adulantis, & ſubſtantiue ponitur, cuius adiunctum, eſt, Tepidum; ex quo apparet allacritatem illam defuiſſe, quæ in vera laude non fucata cognoſcitur. De quo videndus *Plutarchus Opuſc. de Diſcrim. Amici, & Adul. & de Auditoris officio*. Quidam figurate hoc accipiunt, & Tepidum pro Tepida carmina interpretantur, quod in calore, non tempore vis animi, & ingenij conſiſtat. Sed nimirum friget ipſa hæc expoſitio. *Murm.* legit *Trepidum*, & exponit *trepida voce ab aſſentatoribus pronunciatum*; quod non placet.

Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina raſis
Librat in antithetis. doctas poſuiſſe figuras
Laudatur. bellum hoc. hoc bellum? an Romule ceues?
Men' moueat quippe? & cantet ſi naufragus, aſſem
Protulerim? cantas cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? verum nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incuruaſſe querela

FVR ES AIT PEDIO.

Accuſator ait Pedio. fur es. Pedium Blaſum Nerone imperante Repetundarum poſtulatũ à Cyrenenſibus, & condemnatum fuiſſe docent ex Tacito veteres expoſitores. Sed pro Pedio placet accipi quemlibet ineptum accuſato-

rem. atque hoc exemplo obiter probat non se in solis poetis continuisse studium aucupendæ inanis gloriæ. Sed latiús serpendo ad Oratores etiam peruenisse;vt confirmet, quod initio dixit.

Scribimus inclusi,numeros ille,hic pede liber.

Quod non animaduersum est ab eo; qui Pedium poetam fuisse affirmauit, in senatuq; coram Nerone causam suam egisse, vel ad Neronem carmina misisse, vt Repetundarum crimine flagrans eius gratiam promereret. Itaq; legendnm censet.Carmina rasis librat in Anthitetis;non aduertens rasa Antitheta parum carmini conuenire.

PEDIVS QVID.

Furti accusatus Pedius,quid Respondet? Quomodo se defendit?

CRIMINA RA. LIB. IN NAT.

In re maxima,de minimis est anxius; Repetundarũ enim accusatus Enthymemata debebat in accusatorem contorquere,non verborum flosculos, & pigmenta quasi trutina librare; & in huiusmodi lenocinijs spem absolutionis reponere, existimareque flores fructibus præponderare. & quod est in prouerbio; *Os cerusatum formæ succi plenæ preferendum*. *Quint.lib.VIII.* eos ridet, qui omissa rerum (qui nerui sunt in causis) diligentia, quodam inani circa voces studio senescunt. & paucis interiectis. *Similem illa translucida, & versicolor quorundam elocutio, res ipsius effæminat; quæ illo verborum habitu vestiuntur*, & mox. *Cultus concessus, atque magnificus addit hominibus auctoritatem; muliebris, & luxuriosus, non corpus ornat, sed mentem detegit.*

Et

Et cap.XII.lib.V. Ita nos habitum ipsum orationis virilem, & illam vim strictè robustèque dicendi, tenera quadam elocutionis cute operimus; & dum læuia sint, ac nitida quantum valeant ni hil interesse arbitramur. & *cap.III.lib.IIX. Propterea non debet quisque vbi maxima rerum momenta versantur de verbis esse solicitus.* Itaque verum est; omni in re, posse quid deceat facere, artis esse. Scire quid, & quando deceat prudētiæ, quæ prouido semper oratori moderatur. Porro pro Antithetis intelligamus quemlibet accersitum figurarum apparatum. qualem seruus apud *Aristophanem* Cerealib. egregiè describit fuisse in Agathone, quem ait, *noua flectere verborum scuta, alia tornare, alia conglutinare, Membratim, & Antonomasijs vti, & verba rotundare ad modum rapi;* De quo liceret vsurpari illud *Lucani Panegyrico*

——— ———*hinc exornata figuris*
Aduolat, excusso velox sententia torno.

Huiusmodi immoderatam redundantiam verborum, sine vllo pondere sententiarum, *inanem quandam profluentiam lo quendi vocat.Cic. Part.* admonetq; ne illi laudē veræ eloquen tiæ tribuamus. Qualē in Mæcenate reprehendit *Sen.Epist. CXIV.* vbi de compositionis generibus suum profert iudicium his verbis. *Ad compositionem transeamus, quot genera tibi dabo in hac quibus peccetur? Quidam præfractam, & asperam probant; disturbant de industria si quid placidius effluxit; nolunt sine salebra esse iuncturam, virilem putant, & fortem, quæ aurem inequalitate percutiat.* (Hanc notauit poeta noster, *in Pacuuio, & Pacuuianis.*) *Quorundam non est compositio, sed modulatio adeò blanditur.* (Hæc erat Pedij) *quid de il-*

la

la loquar in qua verba differuntur, & diu expectata vix ad clausulas redduntur. Quid de illa in exitu lenta qualis Ciceronis est, deuexa, & moliter desinens, nec aliter quam solet ad morem suum pedemq; respondens. Hæc ille. Qui vellem adiecisset cuius probaret, cum & parentis eloquentiæ compositionem fastidiret. cuius tamen ingenium tantopere admiratur *Præfat. lib. I. controuer.* vt dicat *P. Rom. illud vnum habuisse par imperio suo*; nisi forte *arenam illam suam sine calce*, quod dicebat *Galicula teste Suet.* veræ structuræ, (vt nimium omnia sua amabat) vnicũ esse exemplar sibi persuadebat. Quod tamen non persuasum fuit *Quintil.* qui ait, *illum amore potius puerorum quam consensu eruditorum probari, idq; illi contigisse, quòd aliqua non contempsit; quod nimis concupiuit; quod omnia sua amauit; quod rerum pondera minutissimis sententijs fregerit.*

RASIS.

Expolitis; translatũ ab artificibus lignarijs, aut eborarijs; qui redundantiam circuncidunt à materia, quam formare student. vnde Rasum Ebur. *Et Lucr. lib. V.*

Materiem læuare, dolare, & radere tigna.

Sic enim cum Lambino legendum est; Spretis, Veneta; Florent. Parisiensi, Lugdunnensi Editionibus. quæ aliter habent.

DOCTVS POSVISSE FIGVRAS.

Horatius; Doctus cantare Tibullum. Et Tibullus. at non ego fallere doctus. Claudianus; Doctus turbare sodales. Iuuenal. Doctus spectare lacunar.

HOC

HOC BELLVM.

Sic dicebant ineptijs Pedij fauentes.

HOC BELLVM.

Indignatur Persius, quòd, in quo Romani animi offensionem præferre deberent. tam inepte sibi à Pedio illudi, & meris nugis obiectum crimen impune se laturum speraret; acclamarent potius in eius laudem. Varia est huius loci lectio, quædam enim habet. *Hoc bellum, bellum est*. Quædam *Bellum hoc bellum est*, vtraque sine nota interrogandi; vt constantior sit laus, & quasi admiratio eloquẽtię, & artificij Pedij, auditore bis acclamante; Bellum, Bellum est hoc. Sed prior videtur magis digna Persio.

AN ROMVLE.

An ò Romane dum hæc laudas virum esse te non obliuisceris, & vsq; adeò cæcutis, vt bella acclamando dicas; quæ sunt ineptissima? Reprehendit Romanos, quod limati, & expoliti iudicij sint expertes; non quod de industria Pedio adulentur, vt non nullis video placere. Quæ enim causa rabulæ adulandi? aut quod periculũ impendebat illius ineptias non ferenti?

MEN MOVEAT QVIPPE.

Argumentum à similium collatione; Vt naufragus cantans me ad misericordiam non moueret. Sic Pediũ loco alienissimo, vt pote càusam capitis dicentem expolite orationis laudem ita aucupari, vt totus sit in Antithetis; Homoeotelutis; Isoptotis, nullo modo probarem.

MEN MOVEAT QVIPPE.

Quasi dicat, nequaquam mouebit. nam *tò quippe* Ironice

acci-

accipitur, vt apud *Cic. pro Murena*, fingens Catonem loquentem. *Quippe, tu mihi summum imperium, summam auctoritatem, tu gubernacula Reip. petas, fouendis hominum sensibus, & delinendis animis, & adhibendis voluptatibus?* Hanouiana, & vltima Parisiensis impressio, hic non adhibent interrogationem; quam recte; plane non video; eius enim vis necessario sequi videtur particulam. *Men.*

ASSEM PROTVLERIM.

Ad hunc finem has tabellas ferebant, vt obuij, aut circunstantes imagine rei atrocis permoti, stipe porrecta naufragij damna sarcirent. vnde Poeta noster *Satyra vltima*

——— largire inopi ne pictus oberret
Cærulea in tabula ———

Et *Iuuenal. sexta*

——— misera arte naufragus assem
Dum rogat, & picta se tempestate tuetur.

C A N T A, &c.

Repugnat cantantem naufragum misericordia afficere auditorem, ab eoq; etiam pecuniolam extorquere. Vulgatum illud *Horatij,*

——— si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi ———

Et Quint. non calescimus nisi igni; non madescimus nisi aqua. Arist. II. Rhet. miserabiliores videri ait, *qui gestu, voce, vestitu, tota denique actione patientes inducuntur; tunc enim malũ conspicuum magis videtur;* Itaque *dura, molliter prolata,* fide prorsus caritura. idem docet *lib. III.* nam vt ait *Fab. excitat qui dicit spiritu ipso.* & iterum *alicubi orbum agimus, & naufragum,*

& pe-

& periclitantẽ quorũ induere personas, quid attinet nisi affectus assumimus? ex quo apparet quam ridiculus fuerit Pedius, qui, quod alienam personam induentes faciunt, ipse in re propria contẽpserit. Multa prætereo huc pertinentia, quæ apud Rhetores obuia sunt. Sed illa præcipue quæ *Ant. II. de Orat.* Laudans Crassum multis verbis exposuit; quæ qui faciunt eloquentiæ faces dicuntur admouere, & auditorum animis inexpectatam, repentinamq; vim adhibere. Itaque non Oratio magis, quam actio Ciceronis, salutem ligarij à Cæsare extorsit.

Trabem posuit pro naue sicut *Horat.*

CVM FRAC. TE IN
TRAB. PICT.

——— *vt trabe Cypria.*
Myrtoum pauidus secet mare.

Et *Virg. III. Aeneid.*

——— *vastum caua trabe curramus æquor.*

De hoc more tabellarum ex naufragijs, hęc *Cic. III. de Nat. Deorum. Nonne animaduertit ex tot tabellis pictis, quàm multi votis, vim tempestatis effugerint, in portumq; peruenerint? Et Virg. XII.*

Seruati ex vndis, vbi figere dona solebant.

Horat. etiam *Od. V. lib. I.* & iterum ad Pisones in arte

——— *si naufragus ennatat exspes*
Aere dato qui pingitur ———

Et *Mart. lib. XII. ad Sparsum.*

Nec fasciato naufragus loquax trunco.

Sed harum tabellarũ, ex voto non vnica causa salus ex nau-

fra-

fragio, sed ex quouis etiam grauiori periculo incolumitas. *Ouid. III. Fast.*

Et posita est meritæ multa tabella Deæ.

Tibullus Eleg. IV. lib. I.

Nunc Dea, nunc succurre mihi, iam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Iuuenal. Sat. XII.

Et quam votiua testantur fama tabella
Plurima. Pictores quis nescit ab Iside pasci?

VERVM NEC NO. PA. PLO.

Tantum inquit, abest, vt ego naufragi cantu mouear ad misericordiam; vt ne mouerer quidem fletu in quo artificiũ deprehenderem; oportet enim impellente natura veras lachrimas profundere non studiose quæsitas, qui me volet afficere. *Quint. lib. X. cap. III. Affectus* (ait) *non tam constare diligentia, quam calore.* Quod puto *Cic.* voluisse intelligi in Part. vbi ait. *Orationem semper esse ad augendum commodatiorem, quæ quasi est naturalis.* Præceptum est etiam *Arist.* à *Cic.* & *Quint.* repetitum, vt ars dissimuletur ne intelligant auditores sibi insidias parari, sunt enim male affecti aduersus eum, qui ficte, & artificiose dicit. Egregie *Martialis de fictis lachrimis.*

Amissum non flet, cum sola est Gellia patrem
Si quis adest; iussæ prosiliunt lachrimæ.

Et Paulò post

Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

V E R V M.

Multi interpretantur pro vere; qui nõ videntur animad-
uer-

uertisse; *Verum,nec nocte paratum,*hic poni tamquam contraria, & pendere vtrumq; à verbo *Plorabit.* quomodo igitur.nocte paratum recipiet,hanc Enallagen? Dicamus igitur, *Plorabit verum*, idest aliquid,quod sit verum,nec lucubratione paratum. Vel sic.*Plorabit,*verum,intellige ploratũ. Sicut dixit *Iuuen. Sat.XIII.*

Ploratur lachrimis amissa pecunia veris

nisi malis cum *Thed. Marcil. non plorabit, sed cantabit legere,* hoc modo,*qui me volet incuruasse querella,verum carmen tantabit,non lucubratum.* Quod non probo.

INCVRVASSE.

Poetice;pro flexisse,quod verbum sæpe ad animũ transfertur.*Ennius.*

Quo vobis mentes,rectæ quæ stare solebant
Antehac;dementi sese flexere ruina.

Virg. *Solus hic inflexit animos——*

Cic.IV.Acad.Si te Oratio Luculli flexit.Seneca Epist.CIV. Itaq; nulli se rei submittit, nihil illi videtur graue, nihil quod virum incuruet. Vt enim erecto dicuntur animo, quibus semper est idem mentis robur, sic, vt primum quis ad voluptatem,molestiam,metum,cupiditatem,fit procliuis, rectũ animi statum incuruat,incuruatum verò frangit; cum fit sui impotens, & cupiditatum mancipium. Hinc, illa frangi, molestia, metu, dolore, pro his succumbere. Porro negat Persius posse sibi contingere, vt fictis lachrymis afficiatur, veris non negat, neque enim, vt dixit erat illi cornea fibra.

Sed

Sed numris decor est, & iunctura addita crudis
Claudere sic versum didicit; Berecynthius Attis,
Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin;
Sic costam longo subduximus Apennino.
Arma virum, nonne hoc spumosum, & cortice pingui?
Vt ramale vetus prægrandi subere coctum.
Quid nam igitur tenerum, & laxa ceruice legendum?
Torua mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo.
Bassaris, & lyncem menas flexura corymbis.
Euion ingeminat: reparabilis adsonat Echo.
Hæc fierent, si testiculi vena vlla paterni
Viueret in nobis? summa delumbe saliua
Hoc natat in labris, & in vdo est Menas, & Atys.
Nec pluteum cedit; nec demorsos sapit vngues.

SED NVMERIS DECOR EST, &c.

Loquitur qui partes poetæ tuetur, proque Pedij defensione verbum nullum facit. vnum se äit scire, poetam suum omni esse comẽdatione dignissimum; quippe qui decorem, & iuncturam addiderit numeris crudis, idest, qui antea erant crudi. decorem, ad verba, iuncturam, ad compositionem refero. *Quintil. Præm. lib. XII. Quidam inani circa voces studio senescunt; idque faciunt gratia decoris, quod est in dicendo mea quidem sententia pulcherrimum; sed cum sequitur, non cum affectatur.* de iunctura idem *libro IX. cap. IV. In omni compositione tria sunt necessaria, Ordo, Iunctura, Numerus.* & alibi præter consecutionem obseruandum esse ait, redditionem, numeros, & iuncturam; & illo prior

Cic. inter collocationis partes iuncturam ponit. pro qua intelligunt Rhetores concinnitatem quandam verborum, ab omni putida superstitione remotam. Iste autem poetarum defensor, iuncturam vocat, non affectatam solum, sed ridiculam etiam quandam vocum, interdum in ipsis versuum incisis similiter terminantium obseruationem; vt declaratur inepti poetæ exemplis. vbi agnoscas adulantium mores vitia in laudem vertentium. qui quantum noceant videndus *Plut. de discrimine Amici, & Adulatoris.*

A D D I T A.

Badiana impressio, & Murmel. legunt, *Abdita*, omnino male. Primus quod sciam emendauit *Addita Iacob. Bonon.* suis in hunc poetam notis; est tamen qui post illum, hãc sibi laudem arroget.

CLAVDERE SIC DIDICIT VER. &c.

Ironicè quæ ab aduersario dicta sunt cõfirmat, ait enim, vere veriora dicis: Nam poeta iste tuus, mira arte sic didicit versus claudere.

BERECYNTIVS ATTIN.

Hæc verba, cum duobus quæ sequuntur carminibus, & rursus torua Mimalloneis cũ tribus subiectis Neronis sunt; ad declarandas molles, effœminatasq; eius ineptias à Persio producta. Non diuerso consilio inseruit *Seneca Epist. CXIV.* multa Mecœnatis clausulas, post quas subiungit. *Non statim cum hæc legeris hoc tibi occurret, hunc esse qui solutis tunicis in vrbe semper incesserit?* & Paulò post; *hæc verba tam improbe structa, tam negligenter abiecta, tam contra consuetudinẽ om-*

nium

nium posita, ostendunt mores quoq; non minus nouos, & prauos, & singulares fuisse, quę omnia etiã de Nerone dici poterunt.

BERECYNT. ATTIN.

Tangit fabulam Attis Pueri à Berecynthia amati; qui cũ se præcipitem dedisset de monte mutatus in Pinũ, quæ ideò sacra illi erat Deæ, quæ & Cybelle. *Ouid.X.Met.*

——Cybeleius Attis
Exuit hac hominem truncoq; indurvit illo.

ET QVI CAERVL.

Ant.Lullus lib.V.cap.II. hæc scripsit. *Quoties ex longis in breues decumbit Rhytmus; mollis sequitur compositio; vt: Qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.*

A P E N N I N O.

Aliquid fortasse tangitur de historia Annibalis. Molliciẽ huius carminis ita notauit *Quintil. lib.X.cap.de compositione*. Quod etiam in carminibus est permolle, vbi quinæ syllabæ nectuntur, vt in his, *Fortissima Tyndaridarum.* Sed etiam vbi quaternæ, cum versus cluditur Apẽnino; Armamentis, vbi in mente habuit illud *Lucani lib.IX.*

Vincitur, & nudis auertitur armamentis

Quem ita imitatus est *Tranquillus Molossus in Momachia*

——& vastis illum aggrauat armamentis.

Oriona vt *Virg. Armatumq; auro circunspicit Oriona.* Similem molliciẽ duo hæc exẽpla *Lucani* redolent, vtrumq; *lib.X.* vtrobiq; de Nilo loquens.

Exit vt Oceanus lunaribus incrementis

& inferius ——*sed cum lapsus abrupta viarum*
Excepere suos, & præcipites cataractæ.

ARMA VIRVM,&c.

Cum pseudo illi poetæ pangendis carminibus teneritati studerent vni; putabant tamen,non assequi solum Virgilianam maiestatem,& quandiloquentiam,sed etiam superare; in quam sententiam confirmauit Persius eum, qui secum verba facit; Ironicá illá assensione: *Claudere sic didicit versum.* Ille itaq; arrepta occasione proposito Virgiliano carmine,pro quo totum poema intelligit,id vult probare. quasi enim ait; Vide mi Persi, Aeris illa, nonne est spumosa, idest vano tumore inflata,& tamquam pinguis cortex aspera? Possumus etiam aliter intelligere, dicereque,qui cũ Persio loquitur,ad declarandam magis sui poetæ suauem compositionem, carmen Virgilianum obijecisse; quod si conferatur cum scriptis Neronianis,turgidum esse,atq; aridum. Quod si priorem expositionem probamus.*Vt ramale vetus*, dicetur à Persio irridente aduersariũ,non intelligentẽ,pertinere ad Virgilij laudẽ, quod ipse ad dedecus duxi existimabat,hoc modo. Cum dixisset aduersarius Arma virum,non ne hoc spumosum,& cortice pingui? terminans hic sententiam cum interrogatione, excepit Persius, & Ironice,vera inquit,prædicas, est enim, vt ramale vetus,&c. quibus verbis existimauit aduersarius confirmari iudicium suum, quod de Virgilio fecerat, atque eo magis; quod vidit Persium non recedere à proposita metaphora corticis pinguis, sed falsus erat;nam,pro corticee pingui,in quo,& tumor, & asperitas quædam,dixit Persius,vetus Ramale,& coctum; quod significat,quolibet superfluo humore exhaustum; & sic omni tumore vacuum, translatum ab arborum ramis

soli

soli expositis. atque in subere prægrandi, maiestatem carminis denotat. Quod si cui altera expositio magis arridebit, legendum erit cum *Badian. Parisien.* & Hanouiana impress. *Vegrandi subere*, & *Ve*, particula imminuet, de qua *Gel. lib. V. cap. XII. & lib. XVI. cap. IV.* Varro dixit etiam *Vegrandes oues; & Festus, Vegrande frumentum. Auson. itidem de Philone Villico*

Hic sæpe falsus messibus vegrandibus
Nomen prorsus Villici.

Addatur, & illud turpiculum *Mart. lib. XI. de Nata*; & quod prior istis scripsit *Varro lib. V. de Lingua lat. Qui futura prædiuinando solent fari, Fatidici dicti.* ijdem vaticinari quod vesana mente faciunt. Et similiter cœtum accipimus pro arido, & parum succi habente. Vt, sic, *Vegrandis suber, & Ramale vetus* ad contemptum ab aduersario referatur. Ex hac porro quam dixi duplici expositione, elicitur etiam ex sequenti carmine duplex intellectus, alter alteri respondens. Priori hic; cum sibi persuasisset aduersarius, Persium in suam sententiam iuisse de Virgiliano tumore, statim eius iudicium exquirit, quidnam igitur existimet tenerum, & laxa ceruice legendum. Cui respondens Persius in instituta irrisione perseuerans, carmina hæc proponit Neronis quæ tenera sint, & molli pronunciatione legenda. *Torua Mimalloneis, &c.* Alteri vero hic alter. Persius ineptũ nugatoris iudiciũ fastidiens animi offensione dissimulata, ab eo quærit. quidnã igitur iudicet tenerũ &c. illæ vero propositis quatuor sequentibus carminibus, ea ipsa, & ijs similia, tenera, & laxa ceruice dicit legẽda. Vel aliter. q̃d nã igitur?

hic distingue cũ interrogatione, hoc sensu; Quid nam igitur proposito Virgiliano carmine vis innuere? cui statim aduersarius, hoc nimirum mihi volo, cum illud sit nimis turgidum, & asperum. hæc poetæ mei esse tenera, & laxa ceruice legenda. Torua Mimalloneis, &c.

NONNE HOC SPVMOSVM.

Linguæ *Virgilio* detrahentes, *Ouidio* sunt sacrilegę.

Et tua sacrilegæ laniarunt carmina linguæ
Pertulit huc victos quo duce Troia viros.

Ad finem lib. primi *de Remed. Amoris*.

R A M A L E.

Ouidius in fabula Baucis, & Philem.

Multifidasq; faces, ramaliaq; arida tecto
Detulit ——————

Seneca Epist. XC. Furcæ vtrinq; suspensæ fulciebant casam, spissatis ramalibus, ac fronde congesta, &c. loquitur de sæculo aureo.

LAXA CERVICE.

Seneca Epist. CXIV. molliciem Mecœnatis taxans. *Incipitq; suspirãs, vt ceruice laxa furiatur;* vel vt habet textus Parisien. Ceruice laxa furiatur animo.

TORVA MIMAL.

Hic versus à *Diomede* aliter sic producitur.

Torua Mimalloneis inflatur tibia Bombis,

& inter teretes connumerat. Bombis dixit Mimalloneis, idest ijs similibus, quos edebãt Mimallones in sacris Bacchi cuius erant ministræ; sic dictæ à monte minoris Asię qui minas dicitur, de quo idem *Strabo lib. XIV. Inter Erythras, est*

mi-

mimas mons altissimus, & gerris, & arboribus plenus. Mimallones, Dodonæ, Thyades, & Ogygides idē significant. *Ouid. l. de Arte* Mimallonides dixit.

Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis.

Tangitur hic fortasse aliquod pertinens ad fabulam Penthei. vt autem hic Persius cornua torua dixit. Sic *Lucanus libro primo.*

Cornua succinti premerent cum torua ministri.

ET RAPTVM.

Quidam textus habēt, *& sectum.* Est hic versus proprius heroicus habens, in prima, quarta, & sexta sede spondeum; sicut ille alter superior. *Et qui caeruleum, &c.*

ET LYNCEM ME. FLEX. COR.

Scriptum est apud *Plut. in Alex.* Olympiadem, Orphei, & Bacchi numine afflatam, ad Thyasos. (erant Bacchi saltationes) *Virg. Ecl. V.*

—— Daphnis Thyasos inducere Baccho)

Eximiæ magnitudinis, & mansuefactos traxisse angues; qui per hederas illabentes, fœmineosq; Thyrsos, atq; coronas amplexi terrore homines afficiebant. per quod volebāt credi, illius numine imbutos omnem humanam conditionem superasse. Similiter itaq; finxerat Nero vnam aliquam ex Mimalloneis, Lynces currum trahentes hedera pro habenis moderari, corimbos enim pro tota hedera posuit. Sicut magnus poeta pro flectendis Tigribus dat Baccho habenas pampineas.

Nec qui pampineis victor iuga flectit habenis,
Liber agens celso Nysæ de vertice tigres.

Et quia pampini Baccho erant habenæ. *Stat.* 4. Thebaid. eius currum vocauit pampineum, cui, & ipse attribuit iugales tigres, Lyncibus hinc inde sine fræno sequentibus. Mimallones autem currum sequi fingit, lupos scissasque vrsas ferentes. Sed præstat eius carmina adscribere.

Et iam pampineos materna ad mœnia currus
Promouet; effrenæ dextra, leuaque sequuntur
Lynces, & vda mero lambunt retinacula tigres;
Post exultantes spolia armentalia portant,
Seminecesque lupos, Scissasq; Mimallones vrsas.

LYNCEM.

Linx animal Baccho sacrum. *Virg. III. Georg.*

Quid linces agitare Bacchi? ———

huius vrinam aiunt in gemmam glaciari. *Ouid. XV. Met.*

Vincta racemifero Lyncas dedit India Baccho
E quibus, vt memorant, quidquid vesica remisit
Vertitur in lapides, & congelat aere tacto.

Cui gemmæ carbunculo simili nomen lyncurium. *Plin. lib. IIX. cap. XXXIIX.* Idem tamen *lib. XXXVII. cap. III. id se ait arbitrari falsum; nec visam suo æuo gemmam vllam ea appellatione.* Cuius tamen meminisse etiam *Tebophastem* idem asserit *Plin.* Quare *Cælius Rhodog. ait se mirari D. Hieronymum tantum in doctrinis virum apud auctores de Lyncurio nihil sibi compertum fateri*

EVION &c.

Dactylicum carmen, & maxime sonorum quale illud *Virg.*

Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula cāpum

Euion,

Euion, vox Bacchantis. Euius vnum ex nominibus liberi patris. *Horat.*

—————— dissipat Euius
Curas edaces ——————

REPARABILIS ASS. ECHO.

Ouid. IV. Met. ——— *plangoribus assonat Echo*
Reparabilem dixit, ſicut Claud. reddituram.

—————— redditur aque rupibus Echo.

quæ nihil aliud eſt, quam ſonus quidam, (vt aiunt) ſecundarius, priori ſimilis, ex aeris concuſſione reſilies; de qua *Ariſt. 2. de Anima. Alex. Aphrod. prob. CXXXIV. Lucr. lib. VI.* & ibi multa *Dion. Lambinus. Plin. lib. II. cap. XLVI. Plutarc. cap. XX. de Placit Philoſoph.* vbi diſputatur, vtrum vox ſit corporea. Porro vinctura quam ridet Perſius in verſibus Neronianis eſt in, *Atyn, Delphin. Longo, Apenino; Minalloneis, Bombis; Vitulo Superbo*; Quæ licet apud poetas melioris notæ interdum occurrat, *Virg.*

Cornua velatarum obuertimus antemnarum

Ouid. Vir precor vxori, frater ſuccurre ſorori.

Vt pro alijs hæc ſufficiant exempla; tamen quia ijs quaſi floſculis, non ſtudioſe conquiſitis, ſed vltro ſe offerentibus opera ſua raro inſpergunt; tantum abeſt vt ineptiarum aliquid præſeferant, vt potius laudem conſequantur venuſtatis à viris doctis; quam ſi abeſſe ſentiunt, ſolœciſmos minus quam ineptam huiuſmodi iuncturã reformidãt. *Virg. primo Georg.*

Atque oculis capti fodere cubilia talpæ

capti maluit dicere, quam captę, vbi *Caper* notat ſolœciſmũ & *Charis.* de illo oct. Eclogæ

Cum

Cum canibus timidi venient ad pocula Damæ.

Solœcismus est inquit *per genus*. *Quintil.etiã lib.IX.cap.III.* Fiunt ergo circa genus figuræ in nominibus, nam oculis capti talpæ, & timidi Damæ dicuntur à *Virgilio*. Ex quo apparet errasse *Phocam*, qui inter nomina quæ semper masculina sunt, A, terminata, numerat Damam, & Talpam.

HAEC FIERENT SI.

Non vlterius tenuit Persius dissimulatã bilem, ab illo carmine. *Vt Ramale vetus*, sed eam effundens, hæc inquit fierẽt, nisi quam lõgissime abijssemus à paternis moribus, quibus obiectari posset, quod ait *Tacit.* de Mamerco; *esse illos opprobrium maiorum suorum, & infami vita, illorum præclarissimã dehonestare.* Parum igitur prodest generosis esse ortum parẽtibus; nisi recti cultus pectora roborẽt ait *Lyricus.* A quo, & illud verissime.

Vtcumq; defecere mores
Dedecorant bene nata culpæ.

Cæterum huiusmodi fœdæ, & sordidæ translationes vnis satyricis permissæ.

SVMMA DE LVMBE, &c.

Hoc delumbe, natat in labris, summa saliua. Delumbe est nominandi casus, nec vt existimat vir doctus vocandi, & significat effœminatum, & enerue. Itaque dixit *Budeus lib. III. Delumbare magistratuum censuram.* non hic silebo quòd, sicut nimia incuria sententias parit delumbes; sic nimia diligentia graues delumbat. Quod vitium reprehendit *Horat.* in *Poetis in Arte* cum ait

sectan-

——————*sectantem leuia nerui*
Deficiunt animique——

Leuia intelligit nimis expolita. *Cic. in Orat.* *Ne minutos numeros sequentes, delumbemus sententias. Ex quo fiunt venustæ magis, & dulces quam, graues, & seueræ; cuiusmodi Orationem Isocratis iudicauit Hermogenes;* Idem sentit. *Ioan. Picus Mirand. de scriptis vernaculis Francisci Petrarcæ;* de quibus quadam Epistola *ad Laurentium Medicem* hæc scripsit. *Cum verò ostentat illam suam verborum suppellectilem, sua vnguenta, cincinnos, & flores; admoneret Castricius si adesset ne falleremur rotundato sono, et versuum cursu; sed inspiceremus quidnā subesset, quæ sedes, quod fundamentum, qui fondus verbis. quod si facias, in illis videas quandoq; Epicuri vacuum, ita, vt nullum subesse sensum, aut frigidum, & leuem.* hæc ille; quæ quam vere, iudicēt nostrates poetæ: mihi satis fuit iudicium illius proposuisse. *Vitruuius* lacunaria humiliter fornicata delumbata vocat; *Curua inquit lacunaria ad circinum delumbata.*

NATAT IN LABRIS.

Est igitur sine fundamento; *Seneca Epist. X. Non à summis labris ista venerunt;* habent hæ voces fundamentū. Quæ dicantur natare in labris, & esse in vdo, docet *Gel. cap. XV. lib. I. his verbis. Qui sunt leues, & futiles, & importuni locutores, quique nullo rerum pondere innixi, verbis humidis, & lapsantibus difluūt, eorum orationem bene existimatum est, in ore nasci, non in pectore. Quintil.* etiam dixit. *Non præmeditata modicendi facultatem inanem loquacitatem dare; & verba in labris nascentia lib. X. cap. IV.* Huc pertinet, quod scripsit *Picus*

Mi-

Mirandula Epistola quadam ad Hermolaum Barb. Experietur (loquitur de Philosophis) *habuisse Barbaros, non in lingua sed in pectore Mercurium.* Et paulo post eadem Epistola. *Laudabile in nobis, habuisse musas in Pectore non in labris. Quod eorum vitium est, qui nihil ex intima cogitatione depromentes sic Torrente lingua obstrepunt. vt illa mente prior officium suum peragat.* Horum igitur incuriam taxans Persius, nec Pluteum ait cædere; nec vngues mordere. Non me fugit Doctissimum *Turnebum*, voluisse aliter huic loco lucem afferre; sed nescio an satis fœliciter.

M AE N A S.

Refer ad illud—— *& Lyncem Mænam flexura corymbis.*

A T T I S.

Proper illud. *Berecyntius Attin*

NEC PLVTEVM CAEDIT.

Quia enim scribendo effutiunt, & recitant, quod in ore non pectore natum est, ideò nec cogitabundi pluteum cædunt, nec vngues mordent, quod solent facere, qui de suis scriptis doctorum iudicium reformidant. Porro ij gestus, & similes ijs, vt manum iactare; torquere vultum, & interim obiurgare, ridiculi sunt, nisi cum soli sumus *Quintil. cap. III. lib. X.* vbi producens hũc locum, ait *Persium significare leniter dicendi genus.* Pluteum accipio pro Tabula, qua legentes, scribentesue vtimur. vide *Franc. Mar. Grapal.* quem sæpe iam dixi ciuem meum. *De partibus Aedium lib. II. cap. de Bibliotheca*

NEC CAEDIT, NEC SAPIT.

Hoc delũbe, nec cædit, ideſt, nec caũsa est, vt cædas Pluteum,

teum, nec sapit vngues demorsos, pro eo quod est nihil accurate, nihil meditate scriptum sapit. respexit ad illud Tritum *Horatij*.

——— viuos & roderet vngues.

Et poeta noster *Sat. Quinta*

——— crudum Chærestratus vnguem
Abrodens ait hæc

cogitans nimirum de mutanda ante actæ vitæ ratione, adolescens ille in re seria vngues abrodebat, qui sunt Lucano manuum excrementa. ait enim

——————— & siccæ pallida rodit
Excrementa manus ———

hos ait *Plin. esse summas neruorum clausulas, hominibus latos; simijs imbricatos, rapacibus vncos cæteris rectos, vt canibus præter eum, qui à cruce plerisq; dependet.*

Sed qui opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne maiorum tibi forte
Limina frigescant: Sonat hic de nare canina
Littera. Per me equidem sint omnia protinus alba:
Nil moror. euge omnes, omnes bene miræ eritis res.
Hoc iuuat: hic, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues: pueri sacer est locus: extra
Meijte, discedo. ———

Quod non suadet ratio, interdum metus extorquet. quare aliquid dissuadentes euentura mala proponimus, vt eorum imagine deterriti auditores, quod proponimus consilium sequantur; vt id boni consequantur, quod est in euitatione mali. qui est latissimus oratorum campus, in quo ma-

xime excurrit *Cic. in Catilinam , & Antonium*. Cum Persij igitur aduersarius nullis rationibus potuerit illum à consilio scribendæ satyræ reuocare, intentat nunc illi periculum, nec longe quidem remotum, Eo enim minus commouemur sed præsentissimum, quod est in procerum offensione positum. quorum aures delicatulæ, assiduis assentatorum voculis imbutæ, & corruptæ, mordaci vero non patent. quin illud vsq; adeo reformidant, vt tamquam pestiferum virus limine excludant bis stulti, & quod rem omnium prçstantissimam respuunt; & quod falsa opinione tumentes, nihil sibi ad veram fœlicitatem esse arbitrantur. Preclare *Seneca libro. Quare bonis viris mala multa accidant, cum sit prouidentia*. Cum omnia quæ excesserunt modum noceant. Periculosissima est fœlicitatis intemperantia; mouet enim cerebrum in vanas mentes imagines euocat: multum inter verum, & falsum mediæ caliginis fundit.

RADERE TEN. AVR.

Radere, offendere. *Quintil. cap. primo lib. III. Quorum ne ieiuna atque arida traditio auerteret animos, & aures præsertim tā delicatas raderet verebamur. Ioan. Vulteius in xenijs.*

Perdoctas aures indocto carmine radis

MORDACI VERO.

Acerba veritate, *Cic. ad Att. lib. III. Epist. 17. Tuas literas semper maxime expecto, in quibus, caue, ne aut diligentia tua mihi molesta, aut veritas acerba sit.* & in *Lælio; Molesta veritas est; siquidem ex ea nascitur odium. itaque rari libenter illam audiunt, & de omnibus fere dici potest quod Martial. de Gallico*

Vero

Vero verius; ergo quid sit audi
Verum Gallice non libenter audis.

Atqui illam libentissime audiuit Demetrius, illiq; non acerba, non molesta sed gratiss. fuit. qui cum post captas Athenas concione aduocata frumentum ciuibus daret, & verba faciens in barbarismum incidisset, vnusque ex ijs qui aderant acclamasset quomodo verbum illud rite esset pronuntiandum, tum ille: *Ego igitur huius quoque emendationis gratia vobis alia quinque modiorum millia dono. Plut. Apophet.*

VIDE SIS.

Cum, imperium, quod non procul à contumelia est, in modo imperandi lenire volebāt veteres, addebant, sis, pro si vis; Quod maxime vsurparunt *comici; Cic. bis*, (quod meminerim) *Pro sex. Roscio Amer. Age nunc refer animum, sis, ad veritatem. Et Part. Orat. C. F. Age sis, quoniam in confirmationem &c.* In numero etiam *plur. sultis, Plaut. Captiu. Seruate istum, sultis, intus serui.* Quando non liceat aliquem libere obiurgare vide *Plutarchum de Discrimine Adulatoris, & Amici.*

MAIORVM.

Ad dignitatem & fortunas, non ad ætatem refer. Sicut Maiores maiora sonent. & *Horat.*

Multos sæpe viros nullis maioribus ortos.

LIMINA FRIGESCANT.

Minus frequentes limina potentiorum, & sic. (ad illud enim refero) à sportula excludaris; quæ plerumque in limine domus statuebatur. *Iuuen. Sat. prima*

Li-

——nunc sportula primo

Limine parua sedet, turba rapienda togatæ.

& paucis interiectis

——iubet à præcone vocari

Ipsos Troiugenas, nam vexant limen, & ipsi

ante Neronem clientibus publicæ cœnæ dabantur. sed is ad sportulas reuocauit *Suet. Amia. Marcel. lib. IV. Solemnium sportularum distributio anxia deliberatione tractatur.* Sporcula centeni erant quadrantes, qui conficiebant asses XXV. quos ait *Manutius, esse Iulios duos moneta Romanæ.* Vnde *Iuuenal.*

——dentissima centum

Quadrantes lectica petit——

& *Mart. lib. I. ad Flaccum.*

Dat Baiana quadrantes sportula centum

Inter delitias quid facit ista fames?

& iterum *lib. III.*

Centum miselli iam valete quadrantes

rursus *lib. X.* ad Gallam

Sportula nos vinxit quadrantibus arida centum.

Multitudinem cliētum, qui sportulam peterent vndę, quam nobilium ædes vomerēt comparauit *Virg. II. Georg.* quia nimirum præ turba instar vndę fluctuabat.

Si non ingentem foribus domus alta superbis

Mane salutatum totis vomit ædibus vndam.

Mane dixit primam atque secundam horam matutinam intelligens. *Martial.*

Prima salutantes, atq; altera continet hora.

Quod

Quod hîc proponit aduersarius Persio ad timorem, multi ponunt in parte fælicitatis. *Horat.* Beatum illum asserit qui

Forumque vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.

Et *Mart.* inter ea quæ faciunt beatam vitam, raram togam numerat; quam frequentissime sportularij, qui se diuitibus addixerant induebant, quorum limina quotidie togati, salutandi, deducendi, reducendiq; gratia terebant. Sed Romulo isti suo attribuit Persius sermonẽ vulgari morum corruptelæ conuenientem.

FRIGESCANT.

Negligaris à diuitibus; quam expositionem egregie confirmat hic locus *Senecæ qui est Epist.* CCXXII. *Recitabat Montanus Iulius carmen tolerabilis Poeta; & amicitia Tiberij notus, & frigore. Frigore dixit.* quia cum apud Tiberium aliquando plurimum potuisset, ab eo postea neglectus est. Frigus, ita cessationi conuenit, vt interdum pro otio ipso ponatur *Cæl. ad Cic. lib. IIX. Epist. VI. Nos hic frigore frigescimus.* idest otio torpemus. Calor verò sic frequenter actionem comitatur, vt pro festinatione vsurpetur. *Virg. primo Georg.*

Magnaq; cum magno veniet tritura calore.

Vbi *Ser.* per calorem *festinationem operis significat.*

SONAT HIC DE NA-
GALIT.

Hic in domo Neronis. verè dixit *Seneca*: *Pessimum quemque correptorem asperrime pati.* Indignationem igitur Neronis, si nimium hanc libertatem scribendi senserit, figuratè

comparat cani prouocato: & iam nares corruganti, minacemq; sonum fundenti, quem vocat literam caninam, quæ est R. de qua *Lucillius*.

Irritata canes, quod homo quam planius dixit

quē versum producit *Ioseph. Scal. in coniectaneis in M. Varr.* & quoniam ea litera impetus, ac vehementiæ significationē habet; ideò Prouerbium Eritrienlium, Rho; conuenit in homines, præcipites, ac violētos. *Fest. Hirrire (ait) genus est vocis canis rabiosæ.* huc refer Prouerbium; *Bilis in naribus* de asperitate literæ R. non nulla videbis in *Epist.* quadam *Barthol. Scala ad Angel. Polit.* cui respondens *Polit. Epist. sequenti, quæ est 11. lib. V.* *Errata* vocat verba quæ habent R. literam *geminatam.* hāc vocat *Iul. Cæs. Scalig. lib. 1. de causis linguæ latinæ, scrupulosam*; quod vibretur, & quasi bulliente voce exeat.

PER ME QVIDEM.

Simulat poeta proposito periculo se vehementer cōmotū, ab Ironia tamen non discedit, & mire Proceribus illudit. quandoquidem inquit vera me admones, quæcunq; recitauerint, quæcunq; scripserint beati isti, sine vlla mora per me sint alba, idest omni labe carentia, ab omniq; reprehensione immunia. merito hoc fingit; nam; Res est imperiosa timor. Egregia est sententia, Ironiam si tollas. Imbecillū enim si potentiorem offendit. pœnitere pręstat, quam irritis conatibus illius iram incendere, sibiq; perniciem parare. huc pertinet prouerbium in Paguro sapientia. Est autem Pagurus cancri genus, qui quandiu spoliatus est duriori testa, quod ei quot annis contigit, imbecillitate virium admonitus piscem nullum aggredi audet; quem (quoniam prudentiæ optimique

con-

consilij argumentum est) de collo Dianæ Ephesiæ suspēdebat antiquitas.

PER ME EQVIDEM.

Sic dici solitum, cū volumus significare, nos de re quappiam nihil laborare, eamq; in minimis ponere. *Cic. ad Volumnium Epist. XXXII. lib. VII. Trahantur per me pedibus omnes rei.* & *lib. IV. ad Att. Epist. VI. Fratrem meum, & te, si habebo, per me ista pedibus trahuntur.* & *IV. Acad. Per me, vel stertas licet, inquit Carneades, non modo quiescas.*

PROTINVS.

Quasi dicat, nihil amplius me attinet deliberare, debeam necne perseuerare in consilio scribendæ satyræ; nam cū mihi præsens impendeat periculum, nunc, nunc statuo vni adulationi studere.

ALBA.

Ad boni naturam pertinere dicebat *Pythagoras*, quod esset *colore albo*. hinc, nata adagia. *Alba faba*; de qua vide *Plut. Pericle*; *Album calculum*; *Alba auis*; *albæ gallinæ filius*; *Album panē pinsere*. Quod esset nigro, ad malum. *Horat.*

Hic niger est; hunc tu Romane caueto.

Et Cic. Pro A. Cecina, de teste *Sexto Clodio Phormione. Nec minus niger, nec minus confidēs*, quàm ille Terētianus Phormio.

EVGE.

Nunc interiectio simulātis, sicut superius Euge poeta, & *Mart. Euge beate.* alias assentientis. *Plaut; Amphit. Al. Accubuisti? S. Euge optime.* Exultantis. *Terent. Adelph. Euge iam lepidus vocor.* obstupescentis. Idē *Plaut. Euge hoc fit pariter, atq; vt alia facta sunt.*

OMNES OMNES,&c.

Hæc duplicatio hanc habet vim; omnes, omnes inquam res, quæ à Neronianis proficiscemini cui cuimodi futuræ estis nihil me posthac reclamante eritis mirum in modum bene, depono enim hic prorsus censoriam seueritatem.

BENE MIRAE.

Valde miræ; sicut bene longæ literę; bene robustus inclamando: *Cic. in Verrem; bene nummatus ad Dolabellam.* Miræ dicebant veteres pro monstrosis. *Non.*

MIRAE.

Mirificæ, admirabiles, omni commendatione dignissimæ, egregiè sustinet adulatoris personam quam simulatè induit. cuius proprium est in immensum rem extollere.

OMNES BE. MI. ER. RES.

Iul. Cæs. Scal. Hyper. ait *aurem quorundā lancinasse hoc carmen Balthasaris Castil.*

Neu longinqua vetustas facti famam aboleret.

Pro cuius defensione ait *quæsiuisse illū inter tam delicatas epulas ex Embemate varietatem.* Idem potest transferri huc pro Persio. Nisi mauis doctissimo *Casaub.* accedere, quē semper extra omnem alcam pono. qui docet, *Satyrarum scriptores interdum, quasi existimationis contemptu; probare se ex animo scribere; vt, qui reprehēduntur agnoscāt, nihil ea scriptione quæri præter ipsorum emendationem.* Quid si diceremus Persium ineptijs Procerum ridiculis illudentem, inepto, & ridiculo versu id voluisse facere?

HOC

HOC IVVAT.

Hoc me (ait monitor) delectat, mihiq; nunc perplaces. Quidam legunt cum interrogatione, & tribuunt Persio, sed omnino male.

HIC INQVIS &c.

Ego apertius subiungit Poeta quid tibi velis intelligo. Sacrosancta oportere inquis haberi istorum scripta, nec vlli fas esse illa non reuereri, non secus ac non licet oletum facere in loco sacro. Pisistratus Tyrannus extructo templo Apollinis Pythij inscripserat, ne quis inibi ventrē exoneraret, & aduenam quendā deprehensum è medio sustulit. Quo nunc fortasse respexit Persius vt significaret, nō minus capitale esse, versibus Neronis cōuitiari, quā olim templū Pythij oletare.

FAXIT OLETVM.

Oletum facit, qui oletat, oletare autem ex veterum doctrina erat olidum facere. manifestum fit ex lege. *Quā lib. II. de Aquaduct.* his verbis refert *Iulius. Front. Ne quis aquam oletato dolo malo, vbi publicè salit; si quis oletarit, Sestert. Decem millium multa esto.* Ex eo quod hic imperat pueris, apparet Persiū posuisse *oletum facere*, pro, vrinam fundere. id. n. maxime oletet. Oletum significat etiam locū, in quo vel venter, vel vesica onus deponit. constat ex *Suet. & Tacito*, dicētibus, *quo anno dedicauit Gymnasiū Nero, Oletū ēt equiti, & senatui præbuisse. Ioan. Boemus* vbi loquitur de moribus Tartarorū asserit, *apud eos ita religiosū fuisse in militum stationibus vrinam fundere; vt si quis temere id fecisset, absque misericordia occideretur. quod si necessitas coegisset; tentorium in quo id accidißet, & omnia quæ in eo erant, per duas mulieres,*

aquam aspergentes, & carmina subinde murmurantes, multisq; alijs additis cærimonijs expurgabatur. Qui de re Rustica scripserunt oletum accipiunt pro loco oleis cōsito. *Cato. Vinea est prima, si vino multa est; secundo loco hortus irriguus; tertio salictum; quarto oletum.*

PINGE DVOS AN.

Anguis pictus semper incutiebat timorē religionis; quia multis numinibus erat consecratus; sed heroibus præcipue. *Plut.* Cleomene. locum autem religiosum oletare maximū nefas. Itaque id dedecus exprobat *Iuuen. Matronis Rom. Sat. VI.*

Maura pudicitiæ veterem dum præterit aram,
Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic.

Quod quia erat contemptus signum; Nero in Religionis ludibrium, Deam syriam vrina cōtaminauit; & *Iuuen. Sat. I.* in derisum statuæ Crispini Aegiptij dixit.

Cuius ad effigiem, non tantum meiere fas est.

Quasi dicat, sed etiam sordidius aliquid, nempe quod dixit *Cic. detractionem confecti, consumatique cibi deponere,* vt non prorsus immerito dānauerit Caracalla vrinam facientes vbi erant imagines Principis, vt ex Spartiano docet, *Casaub. & Marcil.* Consentiunt expositores omnes pro anguibus pictis, Persium intelligere Genium. admoniti à *Seruio ad illud V. Aeneid.*

——adytis cum lubricis anguis ab imis

nemo est tamen qui quærat, cur duos, non vnum anguem dixerit. Ego quæro, & causam aperio. Allegoricè hæc dicuntur; nam pro loco sacro intelligenda sunt Neronis scripta;

pro

pro pueris, quibus imperat, vt extra meiant derisores scriptorum eius, quibus parcendum esse duabus de causis vult intelligi, tum quia Imperatoris essent; tum quod eius Imperatoris, qui poetam profitebatur. Et quoniam veteres Astrologi, cum Platonicis, alterum genituræ, alterum professionis volebant cuiq; præesse Genium. hinc duo poscit Persius pingi angues, vt intelligatur parcendum esse eius carminibus, qui sit Cæsar, & fuerit genituræ Genius; & qui velit poeta haberi, & hic professionis. Per Genium Principis interdum iurari solitum honoris causa, apparet apud *Lucianum in Tyranno*, vbi Tyrannus ipse gloriatur cum Cloto, cum viueret conuiuis suis solum fuisse iusiurandum. Sed per eundem peierātes male acceptos docet *Suet. Calig.* quem ait prætexuisse occasionem sæuiendi in aliquos; quod non nunquam per Genium suum deierassent. & alicubi legimus, per Genium Principis peierātes fustibus male multatos. cum hac admonitione. PETVLANTER ne iurato. mitius id tamen tamen quam olim scytharum Reges, apud quos per solium regium peierantes, sine mora capitis pœna plectebantur, demptis bonis omnibus, qui illi attribuebantur qui illum peierasse probaret *Ioan. Boem. de scytharum moribus*.

PVERI SACER EST LOCVS.

Allegorice, & Ironice. O poetæ, (hos enim voluit pro pueris intelligi) Imperatoris, & Poetæ nostri carmina sunt sacrosancta, illa itaq; nefas est censuram vestram subire. Poterit etiam hęc esse pręscripta verborum formula, quam velit Persius inscribi pictis anguibus.

DISCEDO.

Ego quidem (ait) procul hinc abeo, ne si sacra maledictis profanaro, feram infortunium, vel vt dixit ille, discedo quia neq; mea dicta potes probare; neq; ego tuos mores

——— secuit Lucillus vrbem
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis:
Omne vafer vitium redenti Flaccus amico,
Tangit, & admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso:
Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? nusquam.
Hic tamen infodiam vidi, vidi ipse libelle:
Auriculas asini quis non habet? Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum tam nil, nulla tibi vendo
Iliade———

SECVIT LVCILIVS VRB.

Verè nutrix Octauiæ apud Senecam, Actu, & Scæna I.

——— nec regi mentis potest
Generosus ardor———

quo inflammatus Persius, simulatoris personam omnino exuit, & ad ingenium rediens, statuit nolle omnino discedere à cõsilio suscepto insectãdi corruptos mores satyris suis. idq, probat sibi concedendum maiorum collatione. Si Lucillio non fuit fraudi, ita acriter, & seuerè Romanorum mores insectari, vt quasi arrepto gladio Vrbem totam secuerit, ne summis quidem viris nominatim parcendo. Si Horatio mira vafrice, sicut ludendum populum vniuersum naso licuit suspendere, cur mihi non permittitur clam mutire? *Sic C. Trebonius ad Cic. Epist. XVI. lib. XII.* Deinde qui magis

gis Lucillio locuerit assumere libertatis quam nobis? cum etiam si odio par fuerit, in eos quos læsit, tamen certè non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate verborum incurreret.

S E C V I T.

Translatio, ab aliquo in multitudinē stricto ense de bacchante. *Iuuen. I.*

Ense velut stricto, quoties Lucillius ardens
Infremuit ———

De hoc poeta *Cic. de Orat. lib. II. Nam vt C. Lucillius, homo doctus, & per Vrbanus dicere solebat, &c.* Et *Velleius lib. II. celebre, & Lucillij nomen fuit, qui sub P. Africano Numantino belle eques militauerat.* Et quia eques inferiorem se illi censu fatetur *Horat. Sat. I. lib. II.*

——— *quidquid sum ego, quamuis*
Infra Lucilli censum ———

Quale fuerit de hoc poeta eiusdem *Horatij* iudicium nemo nascit. de quo etiam *quartò Rhet. ad Heren. hæc habentur. Et seruabimus compositionem, si verborum transiectionem vitabimus; nisi qua erit cōcina, quo in vitio est Lucillius assiduus*, vt hoc est in Priore libro.

Has res ad te scriptas Luci misimus Aeli.

Hunc primum condidisse styli nasum, ait *Plin. Præfat. lib. I.* quia nimirum primus mutato carminis genere; sed seruata maledicendi licentia, priscam comœdiam vertit in satyram. quam nasum styli, idest acerbitatem, & acre iudicium styli, in vitijs insectandis vocat Plinius. Huius poetæ satyras, cum primum illatum est studium Grammatices in-

vr-

vrbem, publice legi solitas, auctor est *Suet. cap. secundo de Grammaticis*.

VRBEM SECVIT.

Vrbem posuit pro Quiritibus; quos tributim insectatus est. *Horat. Sat. I. lib. II.*

Primores populi arripuit, populumq; tributim
Scilicet vni æquus virtuti; atq; eius amicis.

TE LVPE TE MVTI.

P. Rutilium Lupum, & T. Mutium Albutium intelligit. De illo *Horat*

Famosis Lupo cooperto versibus——

In istum videbis Lucillij ipsius versus irrisionis plenos, apud *Cic. Præmio lib. I. de finibus.*

GENVINVM FREGIT.

De genuinis *Arist. lib. II. cap. IV. de Histor. Anim.* De quibus etiam sic *Cic. II. de Natura Deorum. Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab ijs extenuatur, & mollitur cibus; eorum aduersi acuti morsu diuidunt escas, intimi autem conficiunt qui genuini vocantur.* Videndus etiam *Plin. cap. XXXVIII. libro XI. Iuuenal. Satyra V. de Pane valde duro.*

——*solidæ iam mucida frusta farinæ*
Quæ genuinum agitent, non admittentia morsum

Genuinos dici ait *Festus, quod à genis dependent.* Translateis genuinum dicitur in aliquem frangere, qui omni acerbitate maledictis illum proscindit. *D. Hieron. Prefatione in Chron. Eusebij. Nec ignoro multos fore: qui solita libidine de-*

tra-

trahendi omnibus, quod vitare non potest; nisi qui omnino nihil scribit, huic volumini genuinum infigant.

IN ILLIS.

Pro in vobis, interpretantur doctiores; vt sit Enallage personæ: *Strebæus ad Partit Orator.* vbi docetur quot modis perturbetur consecutio, per hunc locum declarat Anacoluthon personæ, cuius admodnm ratus est vsus. Grammatici afferunt hoc exemplum. *Danai qui parent Atridis contra Priamum arma sumite.* qui parent, pro qui paretis. Nec longe hinc abire putat *Linacer illud Virg. Ecloga VII.*

Muscosi fontes, & somno mollior herba
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus vmbra
Solstitium pecori defendite. ———

Marcil. asserit alicubi legisse, *Genuinum fregit Iulis.* Quod alienissimum videtur à mente Persij. Ego sic malem. Lucilius secuit vrbem, idest vt dixi Quirites, vsitata figura, & fregit Genuinum in illis scilicet Quiritibus, nec contentus generali insectatione, secuit etiam nominatim te ò Lupe, & te, ò Muti.

VAFER.

Vafer ait *Non. quasi valde Afer*, quia Afrorum semper mira fuit calilditas. & vere ad fallendum proni, & solertes. vbique dicuntur, ad omnemque spei auram mobiles atque infidi.

TANGIT OMNE VITIVM.

Omnes sinus, & latebras vitiorum excutit, nec quidquã est tam abditum, quod calide non retegat.

RI-

RIDENTI AMICO.

Leniter inflectit illud

Ridentem dicere verum Quid vetat?

CIRCVM PRAECORDIA LVDIT.

Plutarchus de Discrimine Adulat. & Amici. eos maxime omnium esse astutos ait, qui ipsa reprehendendi libertate, ad gratiam, & voluptatem vtuntur.

A D M I S S V S.

Subdolè, & quasi aliud agens irrependo permeans.

CALIDVS EXCVSSO.

Astutus subdolè populum irridere: *Plin. lib. XI. capit. XXXVII. Et altior homini tantum, quem noui mores subdolæ irrisioni dicauere nasus. Et Quint. Naribus non ferè quidquam decenter ostendimus;* tametsi derisus, contemptus, fastidium significari solet. Quare nasuti, & nasum habere irrisores dicti. *Martial. lib. I. in Cæcilium*

Non cuicumque datum est habere nasum

Idem *lib. XIII. in Detractorem.*

Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus

Nasum Masc. & Neut. genere veteres dixisse exemplis probat *Nonius.*

MEN MVTIRE NEFAS.

Ardet hic locus indignatione, qui frigebit statim si interrogationem dempseris. *Quanto enim magis* (inquit) *Quintil. ardet. Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? quam si diceretur, Diu abuteris patientia nostra.* Mutire est velle loqui, sed non plane proferre verba. *Varro lib. sex. de Lingua lat. Mussare dictum, quod muti non amplius quam*

Mu dicunt. Charis. Mu, pro mutire. Lucilius Satyrarum libro

Nec laudare hominem quemquam, neq; Mu facere vnquam

Idem

Mut, Mut, non facere audet.

Ex Prouerbijs *Apulei lib. II.* hoc igitur ait; *me ne piaculum committere solo loquendi conatum? Fest. ex Ennio.*

Palam mutire plebeio piaculum est.

Transfertur interdum ad inanima; Phædromus Plautinus de Ostio

Nunquam verbum vllum mutit, cum aperitur tacet.

& ad finem eiusdem scænæ

Viden' vt aperiuntur ædes festiuissimæ?

Non mutit Cardo. est lepidus.

NEFAS.

Hic habet eandem vim, quam apud *Cic. III. de Nat. Deor. de quarto Mercurio. Quartus Nilo patre, quem Aegyptij nefas habent nominare.*

NEC CLAM NEC IN SCROBE.

Religiosum ne mihi magis silētium indicitur, quàm olim Midæ tonsori? fab. est apud Ouid. Auson. etiam ad Paulinum.

Depressis scrobibus vitium regale, minister
Credidit, idque diu texit fidissima tellus

Et *Petronius de Vanitate Aulicorum*

Sic commissa verens auidus seruare minister
Fodit humum, regisque latentes prodidit aures.

SCROBE.

Scrobem communis esse generis probant exempla; ex

quo

quo apparet diminutionem non semper genus detegere, vt docet *Quint. Diminutio* (ait) *genus detegit*, nam funem mascul. esse funiculus ostendit. Scrobiculus enim Diminutiuum, semper est. Masc. cum scrobs interdum sit fœm.

N V S Q V A M.

Elinguem omnino esse te oportet (inquit) monitor, nusquam enim tutum est mutire.

HIC TAMEN INFODIAM.

Vtcumque (ait) res cessura sit, hic, idest in hac mea Satyra, vt in scrobe olim fecit seruus Midæ, infodiam, quę non licet palam profiteri, & erumpet vt poterit iusta indignatio mea.

VIDI VIDI IPSE LIBELLE.

Quæ verba insusurauit in Scrobem Tonsor Midæ, eadē nunc Persius committit satyræ suę, O Scrobs dixit ille, vidi, vidi, Midam habentem aures asininas. *Ouid.*

——— & domini quales aspexerit aures
Voce refert parua, terræque immurmurat haustæ.

Persius vero, ò libelle omnes Romæ habēt aures asini, vidi, vidi, ipse ac si diceret omnes Romæ sunt stolidi, & insipientes, scio me vera dicere; & comperta loquor.

AVRICVLAS AS. QVIS NON HA.

Pro miraculo olim habitum fuit Midam vnum aures habuisse asininas, at quanto vult innuere nunc debet esse mirabilius, neminem Romæ nunc esse non asinum? non differt ab illo superiore. Nam Romæ quis non? Mida dictus fuit habuisse aures asini, quia omnis discernendi ignarus nihil differt ab asino. *Fulgent. in fabula Apollinis, & Marsiæ.*

HOC

HOC EGO OPERTVM HOC RIDERE MEVM.

Opertum quia in hac satyra tamquam in scrobe est infossum; per quod vult intelligi obscure scriptum. Hoc ridere meum, quia sum petulanti splene cachinno.

TAM NIL.

Hoc dicit ex iudicio monitoris, tam nil Persij satyras facientis, vt veritus sit, ne Polydamas, & Troiades Accium Labeonem vanissimum poetam illi præferrent, sed tanti facit, ingenuus poeta libertatem socratio Philosopho dignã, carpendi perditos Romanorum mores, licet obscure, vt asserat, non permutaturum se hoc suum opertum, hoc tam nil, cum Iliade illa de qua superius

——— *non est hic Ilias Acci*
Ebria veratro ———

quæ non vt publicæ vtilitati consuleret, qui debet esse finis scriptorum omnium; sed ad promerendam Neroni gratiã, & spe priuati commodi scripta fuit. Pro Iliade Labeonis, accipiamus etiam omnia quæ superius dixit

——— *si qua Elegidia crudi*
Dictarunt Proceres, & quidquid denique lectis
Scribitur in citreis ———

Omnes inquam nugas Procerum.

——— *Audaci quicunq; afflate Cratino*
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,
Aspice & hæc, si forte aliquid decoctius audis:
Inde vaporata lector mihi ferueat aure.
Non hic qui in trepidas Graiorum ludere gestit

Sor-

Sordibus, & lusco qui possit dicere lusce;
Se se aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti ædilis iniquas:
Nec qui Abaco numeros, & secto in puluere metas
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Callioren do.

Qui tota hac satyra monitoris personam sustinuit; volens Persium reuocare ab hoc scribēdi genere, hac primum vsus est ratione, quod inanis futura esset eius opera; quando in tam corrupta ciuitate, vix fieri posset, vt aliquem nancisceretur lectorem. dixit enim quis leget hæc? Persius itaque, post rem diu agitatam, obfirmato consilio scribendi; hinc ad finem vsque satyræ, docet quos optet obtingere sibi lectores, quosue tamquam profanos arceat. Cupere autem dicit veterum comicorum lectione afflatos, & inde aurem vaporatam referentes. Petulantes vero, superbos, bonarum artium contemptores; ad summum totius Philosophiæ inimicos, eiusq; sectatores derisui habentes, omnia alia agere, & sordibus suis immarcessere iubet. Nam vt ait *Seneca. Epist. XXIX. Cum sapientia sit ars, certum petat, eligat profecturos, ab ijs quos desperauit recedat.*

AVDACI QVICVNQVE AF. CRAT.

Nihil attinet dicere, quomodo doctiores hunc locum accipiant; & ordinent. Ego sic; ò afflate Cratino, quicunque palles iratum Eupolidem, cum sene prægrandi, Aspice, & hæc; vt intelligamus afflatum, pro leni quadam præuia dispositione, quæ ipsa per se non possit satis idoneum

reddere

reddere ad has satyras lectorem, nisi accesserit etiam pallor contractus ex lectione veterum Comicorum. Vel sic. O quicunque palles Eupolidem &c. afflate, idest, existens afflatus Cratino, antequam pallueris Eupolidem, aspice, & hæc; Vel denique bis assumamus τὸ, Quicunque; sic. O quicunque afflate, pro eflatus es Cratino, ò quicunque palles Eupolidem iratum cum sene prægrandi aspice, & hæc de his tribus veteribus comicis. hæc Vell. Patercul. Vna ætas priscam illam, & veterem sub Cratino, Aristophane, Aupolide Illustrauit Comœdiam.

AVDACI CRATINO.

Qui ausus fuit reuerti ad pristinam maledicendi licentiam, quæ iam paullisper refrigerauerat. Itaque Baptas fabulam cum edidisset, ab ijs in quos inuectus fuerat, captus, vinctus, & in mare proiectus, audaciæ suæ pœnas luit; & à mersione, imitatus est nomen fabulæ suæ. Hæc *Iulius Cæs. Scal. lib. VII. cap. primo Poet.* Alij non Cratino, sed Eupolidi hoc dicunt contigisse. Cratinus primus fertur Comœdiæ partes distinxisse; & actus dispofuisse; & ad tres tantum personas numerum astrinxisse. Hunc primum nominat Persius, quia prior alijs duobus septem Olymp. claruit. Si Chronicis Eusebij fides. Vetus omnis comœdia ad iudicia horum trium digesta est. De qua loquens *Quint. Plures* (inquit) *eius auctores Aristophanes tamen, & Eupolis Cratinusque præcipui.* Cratinus fuit acer, & in taxando liber, ita vt Homeri Vlyssem censuris vexauerit, Eupolis grauis, & acerbis, Aristophanes risu mordax. *Iul. Cæsar Scalig. Histor. cap. VII.*

O AF-

AFFLATE.

Nondum prorſus imbute; ſed ſcriptorum ſimilitudine ad hæc mea legenda diſpoſite. *Seru. ad illud ſexti Aeneid.*

——— afflata eſt numine quando

Iam propiore Dei ———

Afflata (ait) *nondum Deo plena, ſed vicinitate numinis afflata.*

IRATVM EVPOLIDEM PALLES.

Pallere Eupolidem, audacter, & inſolenter dictum, bis admonet *Turneb. Primum lib. X. cap. I.* Deinde *XXIIX. cap. XXVI.* Dixit tamen etiam Propert. *Eleg. XIV. ad Cynthiam*:

Quis te cogebat multos pallere colores?

Sane pallere Eupolidem, eſt tanto ſtudio eius ſcripta.

Nocturna verſare manu, verſare diurna

vt inde pallorem contraxerit. vnde dictum eſt alibi.

At te nocturnis iuuat impalleſcere chartis.

PRAEGRANDI CVM SENE.

Ariſtophanem intelligit. Qui cum nihil vnquam ſine riſu, & facetijs impingeret, & ob id facetiſſimus poëta veteris comœdiæ vocetur à *Cic. II. de Legibus*, non video quomodo prægrandis hic dicatur ob grauitatem partium, quas in fabulis ſuſtineret, caſtigandi, & reprehendendi, vt docto cuidam placet. Quid enim commune habet grauitas, cum riſu, & facetijs? Nec ille audiendus eſt, qui prægnandem ob ætatem dici exiſtimat, quod iam natu grandior ſatyras ſcripſerit. quaſi vero vnquam ſatyram attigerit Ariſtophan:

aut

aut etiam eo viuente inuenta fuerit, aut denique non tota sit latina. Alius prægrandem accipit, quod nemo eum poeta Satyricus antecesserit, qui cum superiore ad eundem lapidem. Alius pro turgido, & inflato interpretatur. Sicut dictum est superius.

Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus, anhelet

Sed neque hoc conuenit cum risu, & facetijs Aristophaneis. Est denique, qui cur senem dixerit doceat, sed cur prægrandem silet. Ego granditatem refero ad ingenium, & grande ingenium pro solerti, & acuto accipio. Sicut *Ouid. VI. Met. in fab. Philom.*

—————grande doloris
Ingenium est:—————

Quæ laus maxime Aristophani conuenit; quippe qui exactius distinxerit partes, & disposuerit actus Archææ Comœdiæ, quam antea fecerat Cratinus. Trimetri etiam versus auctor perhibetur. Adde quod atticæ linguæ fuit peritissimus, quodque præfuit certamini poetarum; tunc, cum illaudato etiam poetæ victoriam adiudicauit, quod sua, non aliena recitasse diceret.

DECOCTIVS.

Maturius; translatum à pomis, quæ matura cocta, immatura cruda dicuntur; *Cic. de Senec. Poma ex arboribus, si cruda sunt, vi auelluntur; si matura, & cocta decidunt.* Decoctius igitur meditate magis cogitateque significat. *Quint. Anni materiam decoquent. Picus Mirand. Epist. XII. ad Angel. Polit. Nec quidquam euomatur nisi concoctum.* Est etiam,

qui exponat decoctius. Breuius,hoc sensu, si cōferatur cum copia veteris comœdiæ. Sumpta (opinor) Metaphora, ab aliquo liquore qui coquendo minuitur.

LECTOR MIHI FERVEAT.

Vt ex afflatu vapor, sic ex vapore facile concipitur feruor. Naturæ igitur ordinem translatè sequitur. quem (ait) primum afflauit Cratinus, deindè vaporauit Eupolides, & Aristoph. is mihi denique ferueat. idest feruentem operam det, feruet enim negotium quod vrgetur, sicut friget in quo cessamus. *Feruere verbum ab imitatione formatum. Varro lib. V.* Feruere aquam dicimus ab eius rei simili sonitu.

VAPORATA.

Tepente, & sic ad contrahendum feruorem præparata *Lucr. lib. secundo*

——— tepidumque vaporem

Turneb. cap. XXVI. lib. XXIIX. sic. Lector ferueat meorum studio poematum, & inde vaporata, & calefacta, aflataque aure, quod, & audierit, & peruolutarit comicos veteres.

NON HIC SORDIDVS &c.

Non hic odio habendus, *Cic. III. de Finib. Quis non oderit sordidos varios, leues, futiles?* Ostendit quibus lectione satyr. suarum interdicat. simili sententia clausit *Gel. Noctes suas Atticas* his verbis. *Mutuabor ex Aristophanis Coronopesta pauca. & quam ille homo festiuiss. fabulæ suæ spectandæ legem dedit, eandem ego his commentarijs legendis dabo; vt ea ne attingat, neue adeat profestum, et profanum vulgus, à ludo musico diuersum.*

GES.

GESTIT.

Qui subita fœlicitate exhilaratus nimio corporis motu prçter consuetudinem exultat, is gestit. *Fest. Gestire significat lætum esse, dictum à gesticulis facilioribus. Nonius* transfertur etiam ad inanima.

LVDERE IN CREP. GREI.

Non memini obseruasse alibi, ludere in aliqu id. Crepidas, à soleis nihil differre, & illas græci esse sermonis, istas latini docet *Gel. lib. XIII. cap. XX.* his verbis. *Omnia ferme id genus quibus plantarum calces tantum infimè teguntur, cætera parte nuda, & teretibus habenis iuncta sunt, soleas dixerunt. nonnum quā voce græca Crepidulas.* Neque est quod *A. Gelio* obijciatur illud *Horatij.*

——— sapiens crepidas sibi nunquam
Nec soleas fecit ———

Quasi distinxerit ille soleas, à crepidis; Nam sapiens ille si Græcus nunquam sibi fecit crepidas; si Romanus, soleas, & de Græco, græca, de Romano Romana voce vsus est. Etsi enim sententia illa sit Chrysippi; tamē de quolibet sapiente illam pronunciauit. Vide *Adagium calceamentum Colephonium.* Crepidis domi vti semper cōsuetum: in publico olim ita indecorum, vt loco probri multis obiectū fuerit. *Cic. pro Rabirio Post.* de statua L. Scipionis, quæ erat in Capitolio cum crepidis tanquam de re inusitata loquitur. *Asinius* etiā *Pollio* ad *Cic. Epist. XXXII. lib. X.* inter Balbi flagitia commemorat, cum nudis pedibus, idest vt ego interpretor cum crepidis, (ille enim tantū pedis plantam tegebant superiori parte nuda vt ex Aulo Gell. patuit) in conspectum exerci-

tus venisse. quem morem postea immutatum fuisse, apparet ex *Seru.* ad illud *Oct. Aeneid.*

Et Tyrrhena pedum circundat vincula plantis

ait enim Tyrrhena vincula, Tusca calciamẽta, & dicit Crepidas, quas primo habuere Senatores, post Equites, nunc milites. *Vide Alex. Neap. cap. XXIX. lib. XXVI.* & Philologum ad locum Horatij nuper productum. Sapiens crepidas sibi &c. Porro nihil attinet crepidas Carbatinas à Catullo in Vectium nominatas huc referre. Siquidem dudum lectio illa tanquam adulterina explosa est *à Marco Antonio Mureto,* quam antea tuebatur. *Angel. Polit. Miscel. cap. II.*

ET QVI.

Et non serueat mihi petulans ille, qui alienæ calamitati insultans vitia corporis nulla culpa contracta, potest misero alicui exprobrare, & miserationis causam, in derisum conuertere; quo quid magis impium?
rectè admonebat *Pittac. Infælicitatem nemini improperandã, ne iustæ querimoniæ pateamus.* pium monitum; quomodo n. conuenit aduersam fortunam alteri obijcere, cum sciat nemo an sibi constans vel ad vesperum sit permansura?

L V S C E.

Lepidum videbis Epig. apud *Mart. lib. VI. de Phryge,* qui altero luscus, altero lippus oculo, vino largiter indulgẽs factus est cæcus. Insigniores lusci, ijdemq; bellicosissimi quatuor. Philippus; Antigonus; Annibal; Sertorius.

SE SE ALIQVID CRE.

Magnifice se iactans, & ostentans. *Seneca lib. III. de Ira, cap. XXXVII. Nunc iste aliquem se putat, quod custodit litigato-*

gatorum turba limen obsessum. Et Plin. secundus lib. primo Epist. quæ vltimæ præcedit. Ipse cum Tribunus essem errauerim fortasse, qui me esse aliquem putaui; sed tamquam essem abstinui à causis agendis.

ITALO HONORE SVPINVS.

Supinus; superbus, tanto elatus fastrum, tamque erecte ceruice incedens, vt quasi supinus cælum respiciat, De hoc hominum genere *Seneca Epist. CXV. Omnium istorum, quos incedere altos vides bracteata fælicitas est. Quint. de actione. Obseruandum est etiam ne supinus sit vultus.* Quod signum esse audaciæ, & superbiæ vulgo creditur. Supine, pro superbiè dixit. *Seneca lib. II. de Benef.* Alij (inquit) *beneficia supine accipiunt, vt dubium relinquant præstanti; an senserint.*

ITALO HONORE.

Non Romano, sed Municipali; atque ideo non magnifaciendo. Multa hic docte *Theod. Marcil.* Vide etiam *Paul. Man.* ad illa verba *Epist. XI. lib. XIII. Fam. Hoc anno Aedilem filium meum fieri volui.*

FREGERIT HEMINAS ARETI.

Quid Aedilitij esset muneris copiose docet *Cic. sep. Ver. & III. de legib. Curatores* (ait) *Aediles verbis, annonæ ludorumque solemnium sunto.* Ad annonam referebant quidquid esset venale. illorum itaque intererat præstare ne quid fraudis fieret rebus vendendis; si enim quid vitiosum pro sincero, fractum pro integro; morbosum pro sano vspiam venditum esset, emptori Aedilis edicto succurrebatur *Fenest.* Huc refer illud *Plaut.* Rudente.

——*quamuis fastidiosus*

Aedilis est. si quæ improbæ sunt merces, iactat omnes,
Porro sicut hic dixit Persius fregerit Heminas iniquas, Ita *Iuuen. X. frangere pondera iniusta.*

HEMINAS.

Hemina dimdium sextarij, quę, & Cotyla. *Fanius de Ponderib. & Mensur.*

At cotylas, quas si placet dixisse, licebit
Heminas, recipit sextarius vnus.

Capiebat Cyatos sex. Idem.

Sextarij Cyathus pars est, quæ est vncia libræ.

A. Gel. lib. III. cap. XIV. si è sextario Hemina fusa est, non dimidiatum sextarium fusum dicendum est; sed Dimidium Sextario, Hemina frequentius in liquidis, quam aridis vtebantur.

ARETI AEDILIS.

Areti, pro Aretij. Quod ab Vrbe distabat Stad. CIↃCC. Strabo Vasa Aretina in honore habita apparet ex Mart.

Aretina nimis ne spernas vasa monemus
Lautus erat Thuscis, Porsena fictilibus

Plinius etiam *lib. XXXV. cap. XII.* Samia etiamnum in exculentis laudantur. retinet hanc nobilitatem Aretium in Italia.

NEC QVI ABACHO.

Nec mihi ferueat, Arithmeticæ quam intelligit pro numeris in abaco, Nec Geometriæ contemptor, quam significat pro metis in puluere secto; pro quibus duabus, totius

Ma-

Mathematicæ contemptores vult intelligi. quam summus ille Philosophus, qui adolescentes illa non instructos non admittebat ansam philosophiæ dicebat. recte ansam; nam illa sapientes non facit; sed modicè, & cum ratione gustata, viam munit ad Philosophiam; itaque veteribus puerorum fuit studiũ. Abacus hic accipitur pro tabula, in qua Arithmetici numeros subinde delectiles notabant. *Martian.* Ad illam abaci renudati mensuram circunspectans, & alibi. Lineam in abaco rectam ducens; hanc veteres tabulam Pythagoream vocabant. Nam Pythagoras tantum dicitnr disciplinis Mathematicis delectatus, vt, si quãdo in illis aliquid noui inuenisset bouem Musis sacrificaret. Sumpto exemplo à Pyrrhia Ithacensi qui primus immolauit hoc genus victimæ seni cuidam benefactori; ex quo natum fuit prouerbium: Benefactori bouem extra Pyrrhiam immolauit nemo. *Plut. Probl. CXX XXVII. Cic. etiam III. De Natura Deorum*, de eodem Pythag. Quin illud dicitur, quod vim abaco incumbens, & figuras ducens à famulis vi abstractus vngi solitus esset, ipse in corpore sic vncto figuras Mathematicas sæpe designare consueuerat.

SECTO IN PVL. METAS.

Metas pro figuris, & formis Geometricis posuit, quas in puluere radio designabant. De radio *Virg.*

Descripsit radio, totum qui gentibus orbem.

De puluere *Martian.* Atque Abaci sui superfusum puluerem mouens sic exorsa. De radio, & puluere simul, *Cic. V. Tusc. Ex eadem Vrbe* (Siracusas intelligit) humilem ho-

homunculum à puluere, & radio excitabo, qui multis post annis fuit Archimedem de cuius scriptis *Apul.* prima *Apolog.* hæc dixit. *Quem tu librum Æmiliane si nosses, an non modo campo, & glebis, verum abaco, & puluisculo te dedisse s? Rodulph. Agric. lib. II. cap. I. Mathematicam ait idcirco esse disertam, & minime contaminatam, quod non sit capax clamorum, sed puluere contenta, & radio, mutam potius oculorum, quàm loquacem aurium fidem sequatur.* Hanc cum præsente Platone simularet amplecti Dionys. Tyran. areis puluere, & arena factis plenam Regiam habuisse dicitur, & vbiq; paratos Radios.

MVLTVM GAVDERE PARAT.

Singula verba suū habent pondus, paratus quia frequenter virtutis cultoribus insultans, ex eo habitum contraxerat, & facile non rideret solum, sed tamquam rem cupitam consecutus, non intra modum, sed multum gauderet, & exiliret præ gaudio.

GAVDERE PARAT.

Virg. *Et cantare pares, & respondere parati.*
Et Horat. ———— *& depugnare parati.*

PETVLANS NONARIA.

Valla Proteruia leuior quædam contumelia; Procacitas maior; Petulantia maxima; Hanc tribuit huic Nonariæ; quæ ad quæstum prostans, Cynico barbam vellat. vel quod ad eam fortasse admitti peteret. (noti enim Cynicor ūmores) verecundiæ inimici, sine qua nihil rectum asse potest, nihil honestum *Cic. I. Off.* ipsaq; homines sordes auersata, barbam excludendo velleret. Vel quòd proterui Adolescentes No-

na-

nariam Cynico prætereunti ad rixam cōmitterent, vt Agathiæ illius, ideſt, vt interpretatur *Sen. Epiſt. IX.* animi inuulnerabilis, & omnem mali ſenſum reſpicientis, atq; extra omnem patientiam poſiti, quā tota illa ſecta profitebatur ſpecimen aliquod præberet cum riſu ſpectantium. Quale exibuit Diogenes; cui cum de ira diſſerenti adoleſcens inſpuiſſet, tulit ille leniter, & ſapienter. Ac non equidem dixit iraſcor, ſed dubito tamen an iraſci oporteat: *Seneca de Ira lib. III. cap. XXXVII.* Vel denique à Cynico laceſſita conuitio; quod facere conſueuiſſe Cratem Thebanum Diogenis diſcipulum ſcribit *Laert.* Vt ſcorta ex induſtria maledictis inceſſendo, ipſe ſe exerceret ad perferenda conuitia.

NONARIA.

Dictæ Nonariæ, quod hora nona inciperent proſtare; quæ proſtibulæ etiam dicebantur, turpioriſque cenſebātur notæ, quam meretrices. *Nonius* inter Meretricem, & Proſtibulam hoc intereſt, quod meretrix honeſtioris loci eſt, & quæſtus; copiam ſui tantumodo noctu faciens. Proſtibula, quod ante ſtabulum ſtet, quæſtus diurni, & nocturni cauſa; quod ibi copioſioris quæſtus gratia celulas habent. Extremæ fœcis erant ſcorta, ſcortea *Apul.* libet hic attexere, inter meretrices, eloquentia, & eruditione maxime floruiſſe *Leontium*, quæ vt teſtatur *Cic. primo de Natura Deorum contra Theophraſtum ſcribere auſa eſt. Scito quidem illa ſermone, & Attico.*

BARBAM CYNICO.

De barbitio Cynico, vt ridiculè dicam cum *Philippo Beroaldo* hoc videbis apud *A. Gel. lib. IX. cap. 11. ad Herodem*

Atti-

Atticum, nobis præsentibus adijt Palliatus quidam, & crinitus, barbaq; prope ad pubem vsq; porrecta. quem deinde dicit indignè tulisse interrogari, quis nam esset, existimans nimirum à barba, & pallio cognosci posse philosophum esse. at illi inquit Herodes, barbam, & pallium video, philosophũ non video. Erat nimirum ille vnus ex ijs, qui mysteria Philosophiæ barba tantum, & pallio celebrari censebant. ait *Lactant. de falsa sap. lib. XXV*. Ignorantes dictum *Antigoni, non omnes Tyrsigeros esse Bacchos*. Sed multo est Lepidius, quod est in *scaphidio Luciani de Mercurio*, qui Menipo imperauit, vt barbam, & supercilia abraderet Cynico, vt onere leuaretur scaphidium, nō quidem nouacula, sed securi, cum interim malet Menipus serram, vt res esset magis ridicula: Non illepide, etiam finxit egregius poeta Aristippum Diogeni apud manes barbam vellere.

Ille senis leua barbam, & sordentia vellens
Menta, pares si non viximus, hoc satis est.

Cynicorum mores, & cultum egregie describit, nec probat *Seneca Epist. V. his verbis. Illud te admoneo, ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sunt. Asperum cultum, & intonsum caput; & negligentiam barbam, & indictum argento odiũ; & cubile humi positum, & quidquid aliud ambitione peruersa via sequitur deuita*. Ad quem locum hæc notauit *Muretus. Non enim sapientia solum, sed sæpius etiam ambitio sub sordido pallio latet*. Neque vlli homines sitientiores sunt glorię, quã, qui eam fugientium more persequantur. Vnde Plato Diogeni Cynico, qui se Platonis fastum calçare diceret. Calcas in-

inquit, sed altero fastu, & Arist. sordidum, & negligentē Lacedemoniorum vestitum ad arrogantiam refert.

C Y N I C O.

Poterat etiam dicere Cynici. Charis. De Idiom. genitiui, & datiui; Auello iuuenis, & iuueni barbam.

H I S.

Impuris nebulonibus, virtutis, & bonorum morū perpetuis hostibus. Quos complexus est ab illo carmine

——— *non hic qui increpidas.*

M A N E.

Varro lib. V. de lingua lat. hæc scripsit. *Diei principium mane, quod tum manęt dies ab oriente*: nisi potius, quòd bonum, antiqui dicebant manū. *Macrob. mane* ait *dictum, quod ab inferioribus locis*, idest à manibus exordium lucis emergat. Aut, quod lanuuini in latio, mane pro bono dicebant. *Non. Manum dicitur clarum,* vnde etiam, mane, post tenebras noctis diei pars prima.

E D I C T V M.

Prętoris vrbani intelligit edictum, quod inito magistratu proponebat, in quo, quid in iure dicundo obseruaturus esset edicebat. atq; pro edicto, ius ipsum prætoris accipio. & hoc vult significare: permitto, vt auaritię causa forum vrgeant. Illum enim ad fallendum inuicē, atq; ad dandas auaritiæ manus destinatum locum dicebat Anacharsis. *Laert.* Mane autem dixit nempe hora tertia. *Mart.*

Exercet raucos tertia causidicos.

Vel edictū cape, quòd proponebant populo munerę daturi, qui & ipsi editores dicebātur, in quo alliciēdę plebis causa;

& qui

& qui esset futurus dies muneris,& itẽ nomina, & paria gladiatorum edito libello populo denunciabant. Huc pertinet illud *Sen.Epist.CXIX. Nemo qui parturienti filiæ obstetricẽ accersit edictum, & Ludorum ordinẽ perlegit*. Videndus *Lips. Satur.lib.II.cap.XVIII. Theodoro Marcil.* placet,vt editum intelligamus Neronis promittentis post prandia cantaturũ Callirohen fabulam;quod si probamus,post prandia Callirohen do,verba erunt edicti. Mihi fit magis verisimile,Callirohen nomen esse meretricis,vt in istos auaritiæ,& libidinis sordes reijciat. Nam quæ huc conferuntur *ex Plin.& Solino de Callirohe fonte Attico* nihil prorsus ad rem.Callirohis meretricis meminit *Ouid.lib.II.de remed.Amoris.*

Amphilochi frater,ne Phagida semper amaret
Callirohe fecit,parte recepta thori.

POST PRANDIA.

Meridiandi horá;meridiari enim vsurpant, pro voluptatibus indulgere.*Catullus ad Ipsithillam.*

Iube ad te veniam meridiatum,

Et Pont.secundo Hendec.

Ite hinc in thalamos meridiatum.

Et mox

Hoc ipsa ocia nam meridiana,
Et mulcens simul imperat voluptas.

Et ciuis meus *Georg.Ansel.Nepos.*

Nunc si vna libeat meridiari
Quater peius amabo,quinquiesque
Septies, deciesque,centiesque.

Notius quam, vt referatur, quam vulgo spurcissime meridia-

diarentur Lydi, de quibus *Athen. lib. XII. Asinium Pollionem* Oratorum magnum, nulla vnquam re, vltra decimam horã quæ proxima sequebatur prandium, retentum fuisse scribit *Seneca de tranquil. vitæ, ita, vt, ne epistolas quidem, post eam horam legeret, ne quid noua curæ nasceretur. Maiores quoque nostri* (ait idem) *nouam relationem post horam decimam in senatu fieri vetabant.* Quò respiciens *Lipsius Satyram Menipæam* his verbis clausit. *Sed iam hora decima erat, nec post eam fas incipere nouam relationem. Varro* (referente *Nonio*) *meridiem vsurpauit de nocte. Repente noctis circiter meridiem.*



SA-

SATYRA
SECVNDA.



Vnc Macrine diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labente apponit candidus annos.
Funde merum Genio, non tu prece poscis emaci,
Quæ nisi seductis nequeas committere diuis.
At bona pars Procerum tacita libàbit acerra.
Haud cuiuis promptũ est murmurq́; humilesq́; susurros
Tollere de templis, & aperto viuere voto.
Mens bona, fama, fides, hæc clare, & vt audiat hospes,
Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat. ò si
Ebullat patrui præclarum funus, & ò si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule, pupillum ve vtinam, quem proximus hæres
Impello, expungam, nam, & est scabiosus, & acri
Bile tumet. Nerio iam tertia duditur vxor.
Hæc sancte, vt poscas, tyberino in flumine mergis
Manet caput bis, terque, & noctem flumine purgas.
Heus age responde, minimum est, quod scire laboro,
De Ioue quid sentis? est ne vt præponere cures
Hunc cuiquam? nam? vis Staio? an scilicet hæres
Quis potior iudex, pueris ve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Iouis autem impellere tentas,

Dic

Dic agedum Staio, pro Iuppiter ò bone clamet
Iuppiter, at sese non clamet Iuppiter ipse?
Iguouisse putas, quia, cum tonat, ocyus ilex
Sulfure discutitur sacro, quam tuq; domusque?
An quia non fibris ouium, Ergennaq; iubente
Triste iaces lucis, euitandumq; bidental
Icarco stolidam præbet tibi vellere barbam
Iuppiter? aut quidnam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas pulmone, & lactibus vnctis?
Ecce auia, aut metuens diuum matertera cunis
Exemit puerum, frontemque, atq; vda labella
Infami digito, & lustralibus ante saliuis
Expiat vrentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes,
Hunc optent generum rex, & regina, puellæ
Hunc rapiant, quicquid calcauerit hic, rosa fiat.
Ast ego nutrici non mando vota, negato
Iuppiter hæc illi, quamuis te albata rogarit.
Poscis opem neruis, corpusq; fidele senectæ,
Esto age, sed grandes patinæ, tuccetaq; crassa
Adnuere his superos vetuere, Iouemq; morantur.
Rem struere exoptas cæso boue, Mercuriumq;
Arcessis fibra, da fortunare penates,
Da pecus, & gregibus fœtum. Quo pessime pacto,
Tot tibi cum in flamma iunicum omenta liquescant?
Attamen hic extis, & opimo vincere ferto
Intendit, iam crescit ager, iam crescit ouile,

Iam dabitur, iam iam, donec deceptus, & expes
Nequaquam fundo suspiret nummus in imo.
Si tibi cratera's argenti, incusaq; pingui
Auro dona feram, sudes, & pectore leuo
Excutiat guttas, lætari prætrepidum cor.
Hinc illud subijt, auro sacras quòd ouato
Perducis facies. nam fratres inter ahenos.
Somnia pituita, qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitq; illis aurea barba,
Aurum vasa Numæ, saturniaq; impulit æra,
Vestalesq; vrnas, & thuscum fictile mutat.
O curuæ in terris animæ, & cœlestium inanes,
Quid iuuat hoc templis nostros immittere mores?
Et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?
Hæc sibi corrupto casiam dissoluit oliuo,
Hæc calabrum coxit vitiato murice vellus,
Hæc bacam conchæ rasisse, & stringere venas
Feruentis massæ crudo de puluere iussit.
Peccat, & hæc, peccat, vitio tamen vtitur, at vos
Dicite pontifices in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine puppæ.
Quin damus id superis, de magna, quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago,
Compositum ius, fasq; animi, sanctosq; recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto,
Hoc cedo, vt admoueam templis, & farre litabo.



VAE preces Deo fundendæ, quæ vota concipienda sint, dum exponit Persius hac Satyra, bonam parté eorum complectitur, quæ sunt in secundo Alcib. Platonis, qui est de Voto; non nulla etiã quæ in Eutiphrone, qui est de sanctitate. quod argumentum accurate etiam tractat *Marsil. Ficinus toto cap. VI.* compendij in Timeum; *Decimaquoq; Satyra Iuuenal.* huic argumento est affinis.

NVMERA MELIORE LAPILLO.

Traces lætos dies lapillo albo, tristes nigro notabant; atque illos vixisse, istos dicebant durasse. ad quem morem respexit *Ouid.* in Ibin imprecans illi totum vitæ cursum infęlicem his verbis.

Vtq; mei versus aliquantum noctis habebunt,
Sic vitæ series tota sit atra tuæ.

Albertus Magnus nõ nullos ait fortunam finxisse bifrontem anteriore facie albam, posteriore nigram, vt denotarēt eam interdum bónam, interdum malam. Diem egregiè fęlicem interdùm gemma alba, (opinor vnionem fuisse) notabant. *Mart. Epig. XLIV. lib. XII.*

Hanc lucem lactea gemma notet.

Et Epig. XXV. lib. XI.

Caius hanc lucem gemma mihi Iulius alba
Signat —— male quidam contendunt hunc morem fuisse Cretensium, non Tracum moti illo carmine *Horatij*.

Cressa nec careat pulchra dies nota.

Nam ibi nota Cressa, non significant Cretēsem; sed albam;

in Creta enim multa est terra alba. videndus *Plin. lib. VII. cap. XL.* *&* *adagium Creta notare. & Lilius Greg. Gyraldus de temporum partibus. Plutarchus in Pericle,* Albi diei appellationem aliunde deriuat. ait enim, *quod, cum Athenienses bellum contra Samios gererent, Periclem Samiorum vrbem obsedisse, quòd cunctatione, ac mora, quàm nece hominum capere mallet vrbem illam; cuius rei cum iam milites tæderet, & propterea eos Pericles non satis quietos haberet, in partes octo exercitum omnem diuisisse, remque ad sortes traduxisse, vt cui parti alba faba obuenißet, illa epularetur, atque in otio esset cæteris pugnantibus. idcirco posteros, cum voluptatibus, ac Genio operam darent, album illum diem ab alba faba nuncupare solitos.*

APPONIT.

Ad constantem vsq; ætatem apponuntur anni, illa verò declinante adimuntur. *Horat. Ode V. lib. II.*

> ——— *& illi quos tibi dempserit*
> *Apponet annos* ———

FVNDE MERVM GENIO.

Censorinus de die natali cap. I. Genio potissimum per omnem ætatem sacrificamus. Fusio autem hæc meri fiebat in caput Genij, sicut à pastoribus lactis in caput Palis. de Genio *Tibullus Elegia sept. lib. I.*

> *Huc ades, & centum ludos, Geniumq; choreis*
> *Concelebra, & multo tempora funde mero.*

De Pale idem *Eleg. I. lib. I.*

> *Hic ego pastoremq; meum lustrare quotannis,*
> *Et placidam soleo spargere lacte Palem.*

GE-

GENIO.

Geniorum naturâ non omnes eandem crediderunt, quidam enim mortales, quidã sempiternos existimarunt. Prioris sententiæ fuit *Horatius, vltima Epistola ad Lucium Florũ cum ait.*

Scit Genius natale Deus, qui temperat astrum
Naturæ Deus humanæ; mortalis in vnum
Quodque caput———

Quod minus mirum in illo poeta, qui nec animæ immortalitatem credebat. fabulantur etiã poetæ Hamadryades cum arboribus nasci, & mori. Plotinus verò forsitã (ait) hic amor est Dęmon, quem tradũt, quemlibet comitari, scilicet essentialis vniuscuiusq; amor. Alij asserunt esse immortales, sed cum homine quodãmodo gigni, cuius sententiæ fuit *Apul. de Deo Socratis.* Quod si *Senecæ* credimus, fuerunt Genij de plebe Deorum; sic enim scripsit *Epist. CX. Cõpone in præsentia, quæ quibusdam placent, vnicuiq; nostrum pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notæ, ex eorum numero, quos Ouidius ait de plebe Deos.* Genios à Laribus de dogmate Plat. eosq; dicit esse custodes hominum, & interpretes si quid à Deo velint. De Genijs copiose multa disputantur apud *Plut. de Oraculorum defectu;* Genium viris, Iunonẽ fœminis præfuisse voluerunt. *Itaq; Tibul. lib. IV. Eleg. VI.* facit puellam die natali suo sacrificare Iunoni, quã Deam natalem vocat: ait enim.

Natalis Iuno sanctos cappe thuris honores,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Et ad finem eiusdem libri alloquens amicam.

Hæc per sancta tua Iunonis numina iuro,
Quæ sola ante alios est tibi magna Deos.

Hinc Anna alloquens Didonem sororem dixit.

Dijs equidem auspicibus reor, & Iunone secunda
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.

Hinc etiam Quartilla meretricum nequissima Iunonem sibi imprecabatur iratã (pudet dicere) si meminisset se fuisse virginem. *& Iuuen. Sat. II.* cũ de effœminato quodam dixisset præter multa alia.

Reticulumq; comis auratum ingentibus implet
Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa.

Quòd fœminei illa essent officij, non virilis statim subiungit.

Et per Iunonem domini iurante ministro.

Quibus exemplis, hanc quã dixi distinctionem Genij, & Iunonis seruatam fuisse apparet. Nam quod ait *Sen. Epist. CX. Stoicos dedisse singulis Genium, & Iunonẽ*, ita accipio, singulis viris Genium, singulis fœminis Iunonẽ; nisi quis velit (quod nõ probo) pro Iunone malũ Geniũ intelligi, sicut fecisse videtur *Alex. Neap. cũ cap. IV. lib. VI.* hæc scripsit. *Alij Geniũ, & Iunonem singulis dederunt, quasi præsides, & oppugnatores;* nã cũ Genium, vel Dæmonẽ sine adiũctione mali, aut irati dicebant sẽper bonũ intelligebãt. ex quo, sequitur pro oppugnatore nõ possit accipi Geniũ sequitur ergo, vt oppugnatrix sit Iuno. Geniũ tribuebant etiã nõ solum locis, sed rebus interdum singularibus, & mobilibus. *Mart. lib. VI. Epig. LX.*

Quam multi tineas pascunt, blattasq; diserti,
Et redimunt soli carmina docta coci.

Ne-

Nescio quid plus est, quod donat sæcula chartis
Victurus Genium debet habere liber.

Vbi accipio Genium pro præcipua quadã, & oculta vi, qua res præualet, & viuit.

NON TV PRECE POSCIS EMACI.

Ratio à dissimili, ex qua tota Satyra dimanat; Laudem enim integritatis, & innocentię Macrino impertiens, Geniũ placare illum posse ait, sola meri fusione; reliquos impietatis arguit; quod Dijs libantes, & in rebus petendis, & in modo petendi grauiter peccent; In rebus, cum nefaria petant; ridicula, pugnantia; nefaria auari; ridicula mulierculæ; pugnantia intemperantes; & rustici. In modo, quod Deos mercede corrumpi posse confidentes; nihil non impium audent ab illis sperare, oblato, aut votis nuncupatis promisso munere aliquo precioso, multo iniquius de Ioue ipso sentientes, quàm de quolibet nefario fœneratore.

PRECE EMACI.

Non tu ea in votis habes, quæ opus sit, à Dijs emere alicuius sacrificij sumptuosi solutione, aut pactione, (has vocat preces emaces) *Horatium imitatus Od. XXIX. libro III.*

Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, & votis pacisci rem.

Videndus *Plato extremo Eutyph.* de ijs, qui inter Deos, & homines quasi mercaturam institutam arbitrabantur, vt homines emaces, Deos beneficiorum vendaces facerent. qua

opinione ducti olim Galli Martem magis propitium in bello habituros existimabant, qui maiorem prædæ partem illi vouissent. Et Locrẽses cum decertaturi essent prælio cum Crotoniatibus, intellexissentq; illos decimam partem prædæ Apollini vouisse,& voto viuerent, vouerunt nonam, in quos illud *Taciti lib.V.Histor.* cõuenit *Gens superstitioni obnoxia, religioni aduersa*. *Prauam* (inquit) *Hieronymus Osor. de Disciplina Regia lib.III.* opinionẽ de numine concipiunt, qui cum in iniquitate perseuerent, illud tamẽ donis inflecti, & à seueritate ad lenitatẽ traduci posse confidunt, qui enim hoc credit, Vel iudicium corrumpi posse credit, quo nullum grauius in Deum scelus excogitari potest.

ET APERTO VIVERE VOTO.

Rarum genus hominum, cui hoc procliue est facere, soli enim faciunt qui omnibus cupiditatibus soluti nihil concipiscunt, cuius vnquam pudere possit. vide *Senecam Epist. X. & XLIV.* qui etiam *cap. XXXVIII. de Beneficijs* hæc scripsit. *Deniquese quisque consulat, & in secretum pectoris sui recedat, & inspiciat, quid tacitus optauerit. quam multa sunt vota, quæ etiam fateri pudet? quàm pauca, quæ etiam facere coram teste possimus? Plato II.Alcib.* grauissime disputat nihil euenire stultis deterius posse, quàm si Deus eorum vota exaudiat.

INTRORSVM, ET SVB LINGVA MVRMVRAT.

Imitatur *Horat.Epist.XVI.lib.I.*

Iane pater clare, clare cum dixit Apollo
Labra mouet metuens audiri ideo

Catullus in nuptijs Thet. & Pel. de Ariadna, quæ non audebat aperte pro Theseo vota facere, ne amorem suum præsentiret pater

——— munuscula Diuis.
Promittens, tacito suspendit vota labello.

tacito dixit Labello, quod noster introrsum, & sub lingua immurmurat. & quoniam tacita hæc vota non raro in perniciem alterius concipiuntur, quibus male cupimus esse; eos aptamus votis relinqui, quæ palàm non suscipiuntur.

EBVLLIT.

Pro ebulliat. sicut *Horatius. Edit cicutis alium nocentius*, pro edat. & *Satyra IIX. lib. II. Quam si cum Lumbis, quis edit*, pro ediderit. videndus *Petrus Vict. variarum lectionum lib. VI. cap. XIX. Ebullire verbum esse à feruente aqua ductũ existimat Casaub.* quæ repente extra vas funditur, optat igitur nepos patrui funus eferri. idest, vt pompa funebris quasi ebulliat ex domo funesta. *Ebullire animam* pro mori *posuit Seneca in Apocolocynthosi Claudij Cæsaris. Ille quidem* (ait) *animam ebullijt, & eò desijt viuere videri.* alius quidam vult Ebullire deriuatum à bulla, quæ cito euanescit. sed male; quis enim dixerit, vtinam funus ebulliat, idest tãquàm bulla vanescat? Bis omnino vsus est Cicero hoc verbo, sed mirum quàm diuersa significatione. vide *Barthol. Riccium in apparatu Linguæ Latinæ*, & intelliges quàm male acceptum à *Philip. Ber. quod dicitur III. Tuscul. Si virtutes ebullire volent.*

O SI.

Si, & ò aduerbia sunt optantis, & rogantis, per se plena,

licet

licet interdum iungantur,& pro vno ponantur, vt hoc loco. vide *Seru.* ad illud *VI. Aeneid.*

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus.

DEXTRO HERCVLE.

Horatius. dixit *amico Hercule diues Satyra VI. lib. II.* creditum fuit Herculem thesauris præesse, eosq; fortunare, & diuitijs augere, qui bonorum suorum decimas persoluerēt. *quare Lucullus cum illi vouisset, decimam partem fructuum, votumq; summa cum religione persoluisset, maximis opibus est auctus. Alex. Neapol. lib. III. cap. XXII.*

SCABIOSVS, ET ACRI BILETVMET.

Ostendit voti sui facilitatem, ex attributis pupilli; quod sit malo corporis habitu, vocant medici Cachexiam, eamq; principium hydropicorum affectuum esse consentiunt ait *Paulus Aegineta. cap. XLVII. lib. III.*

NERIO IAM TERTIA DVCITVR VXOR.

Fortunæ Nerij inuidens suę ostendit tędere, qui vnicam dotem nec dum lucri fecerit; cum ille tertia fuerit auctus, & ad quartam aspiret. Frequens maritorum querella præsertim in fabulis de vxoribus mimis diu viuentibus. Iason Delphinus, vt medicus insignis, sic poeta excellens Elegia quadam, qua vitam suam eleganter descripsit, & quam olim mihi puero dono dedit in hanc sententiam sic lusit.

At mihi bis quarto numeranti tempora lustro
Nupsit anus sine dote æuum victura Sybillæ.

TERQVE.

Cur ternarium numerum tam sæpe in sacris vsurparent, illique

illique maximā vim tribuerent docet *Petrus Greg. Tholosan. tomo III. cap. XIX.* de hoc etiam numero vide *Grippum Ausonij.*

ET NOCTEM FLVMINE PVRGAS.

Dē nocte *Seru.* ad illud *Aeneid.*

Postera phœbea lustrabat lampade terras

De Venere *Tibul. Eleg. I. lib. II.*

——— discedite ab aris,

Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus

notum illud Pythagoræ ex Laertio admonētis semper Dijs cum laudibus, amictuque candido, & casto corpore honores adhibendos, munditiamq; expiationibus, lauacrisque, atque aspergilibus fieri. præclare igitur *Plato in Phæd. Impuro* (inquit) *quidem purum attingere, est nephas. Martial.* etiam *præfatione lib. IIX. Meminerit non nisi religionis purificatione lustratus accedere ad templa debere*. quod si libuerit legere apud *Columel. Cap. IV. lib. XIII.* quam castimoniam requirerent antiqui in seruo, vel serua, cui Cellę officium esset commissum, ne vasa vel cibi contaminarentur, non poteris non exclamare in mores, & nostra tempora. Aqua etiam maris videtur valuisse ad expiationem. Plautus enim in Rud. facit Palæstram, & Ampeliscam mulieres rogare Venerem, vt ea lubente sibi liceret esse in eius phano, quod dicant se aqua maris elutas. nam ex naufragio euaserant incolumes, quamquam & ipsæ addubitent, nun ea lotione satis sint purificatæ subiungunt enim.

Neue Iccirco vitio vortas, si quippiam
Minus quàm decet lautum arbitrare.

Cicero

Cicero aperte docet Pro Roscio Amer. vbi loquitur de supplicio parricidarum *Noluerunt sic nudos in flumen deijcere, ne cũ delati essent in mare ipsum polluerent. quo cætera, quæ violata sunt expiari putantur.*

MINIMVM EST QVOD SCIRE LABORO.

Minimum ait esse ex opinione auari, quem arguit impietatis, quod ei minima curarum sit de Ioue cogitare.

VIS STAIO?

Diagoram Athenienses vrbe pupulerunt; posito etiam argenti Talenti præmio, quicumque illum occidisset; quod ausus fuisset scribere, primũ nescire, an essent Dij; *Cic. ad finem libri primi de Nat. Deor.* deinde si essent, quales essent. *Valer. Max. lib. I. cap. I.* Sed nescio an auarus iste maiori se obstringat sceleri, qui, Iouem quidem fatetur, sed talem fingit, vt non facile explicet, si cum Staio sceleratissimo conferatur, vter vtri probitate sit conferendus.

AT SE NON CLAMAT IVPITER IPSE.

Si à Staio omnium perditissimo, id peteres, quod à Ioue tentas impetrare, ille statim clamaret, prò Iupiter, ò bone Iupiter, & ipse sibi non clamet Iupiter auditis tuis postulatis? an putas te impietatem hanc tuam impune laturum, quia simulatque peccasti, de cœlo non tangeris? & quòd

—— ocyus ilex, Sulfure discutitur sacro?

Sic *Ouid. Elegiarum lib. III. Eleg. III.*

Iupiter igne suo lucos iaculatur, & arces;
Missaque periuras tela ferire vetat.

DIS-

DISCVTITVR.

Lucretius lib. VI.

Postremo cur sancta Deûm Delubra, suasque
Discutit infenso praeclaras fulmine sedes?

De discussorio, terebrante, & vrente fulmine *Seneca lib. II. Quaest. natur. cap. XL.*

IACES.

Quia per legem Cascam Numae; non licebat supra genua tollere fulguritum, ideſt humo efferre.

TRISTE EVITANDVMQ. BIDENTAL.

Locus fulmine tactus Bidental, quem adhibito sacerdote acri studio procurabant antiqui, scpimine munientes. Lucanus ad finem sep.

Inclusum Thusco venerantur cespite fulmen.

Collectis tamen prius fulminis fragmentis. idem poeta lib. I.

—— Aruns dispersos fulminis ignes
Colligit, & terrae maesto cum murmure condit,
Datque locis nomen.——

quod erat Bidental, à bidente caesa, ideſt oue. quamquam *P. Nigidius*, non oues solum, sed hostias omnes binas Bidentes dici existimabat. *Gel. lib. XVI. cap. VI.* itaque cum fulguritum cadauer, sed locus de Coelo tactus Bidental diceretur. docte admonet *Casaub.* hoc pro illo poni.

TRISTE.

Quod aspectu ipso tristitiam horroremq; incutit; ita vt; ne iusta quidem fulgurito persoluerentur, id enim vetabat

eadem

eadem lex Casia. vel tristeipsi, qui peccauerit.

EVITANDVMQ.

Quia quicumque Bidentalis sepimen intrasset incestabatur. vnde Hor.

—— *an triste bidental*

Mouerit incestus ——

Qui locus sacer habebatur. *Plin. lib. XV. Colitur ficus arbor in foro ipso, atque Comitio Romæ nata sacra fulminibus ibi conditis*, multa super hoc loco notauit *Thed. Marcil.* videndus etiam *Turneb. lib. XXV. cap. XIV.*

EMERIS AVRICVLAS.

Soluto precio mercatus fueris, & ideo tamquam re tua arbitratu tuo abutaris. est autem hic distinguendum.

ET LECTIBVS VNCTIS.

Lactes dicuntur intestina, & declin. Hæc lactis. Plautus Curc. Ita venio cibi vacuitate laxis lactibus, idest laxis intestinis. & in Pseudulo. Vna opera alligem fugitiuum canem aniginis lactibus vide *Nonium*. hoc itaque ait poeta, num forte emisti Deorum aures pinguibus hostijs? Colitur inquit *Seneca Deus non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro, argentoque suspenso, nec in thesauro stipe infusa, sed pia, & recta voluntate. Epist. CXV.* & *Lactantius cap. I. lib. VI.* Quin etiam sacras dapes apparant, & exquisitas epulas, quasi aliquid inde libaturis offerunt.

ECCE AVIA.

Transit ad muliercularum stulta vota, quæ antequam exponat, non nullos ritus tangit, quos seruabant die lustrali, qui fuit puellarum octauus, puerorum nonus, puta pue-

rum

rum Cunis eximere, eius frontem, & labella saliua expiare, manibus denique quatere, quasi illum Dijs offerentes; Vota etiam tria, vt Reges pueri affinitatem optent; puellæ illum ob pulchritudinem rapiant; vbi pedem posuerit ibi rosa nascatur. Sed audiamus quid de huiusmodi votis dicat Seneca Epist.LX. *Etiam ne optas quod tibi optauit nutrix tua? aut mater? nondum intelligis quantum mali optauerint? ò quā inimica sunt nobis vota nostrorum. eo quidem inimiciora, quò cessere facilius, iam non admiror si omnia nos à prima pueritia mala sequuntur, inter execrationes parentum creuimus.* De die lustrali; siue nominali, tum alibi, tū multa videbis apud *Alex. Neap. Dierum Genialium lib. II. cap. XXV.*

CVNIS EXIMIT PVERVM.

Fortasse Cuninam Deam, alij Cuninum Deum venerādo, quæ infantes in cunis tueri, & fascinum amouere credebatur. *Lact. lib. I. cap. XX.*

LVSTRALIBVS SALIVIS.

Ieiunam hominis saliuam, fascinationes repercutere superstitione veterū creditum fuit. auctor est *Plin. lib. XXIIX. cap. IV.*

VRENTES OCVLOS INHIBERE PERITA.

Fascinationem intelligit, quam dicunt fieri per motum cordis male affecti, puta vehementi maleuolentia; qui motus, corpus ipsum adiunctam immutat, cuius immutatio ad oculos pertingens afficit plerumq; corpus extrinsecum, præsertim si nocumenti facilem habeat impressionem, vt sunt tenella infantium corpuscula. *Siluester Peneriat lib. I.*

De

De Strigim. cap. XI. confutat Auicenæ opinionem existimãtis vnius vehementem apprehensionem, alterius corpus immutare posse; & ideo fascinationem fieri interdum sine vllo locali motu. multa huc pertinentia notauit *Iacob. Cruquius ad oct. Epod. Horatij.* nec illud prętermittendum, quod vir doctus alicubi refert ex *Cassiadoro* in Circensibus aurigarum equos interdum fascinari solitos, cuius auctoris hęc sũt verba. *Frequentiam palmarum faciebat maleficium, necesse n. ad peruersitatem magnam referri, quando victoria equorum meritis nõ posset applicari.* & rursus ex *Arnobio. Quis enim hos nesciat familiarum disrumpere charitates, aut sine clauibus reserare, quæ clausa sunt; aut ora silentio vincire, aut curriculis equos debilitare, incitare, tardare?* Naxij inuidia cuiuspiam fascinatam fuisse Polycritam suspicãtes, quòd triumphantis more in patriam reuertens, in conspectu omnium ad vrbis portã expirauerat, publico illã monumento decorauerunt. illudq; fascinationis sepulchrum nuncuparunt, *Plutarc. de Claris mulieribus*; nec te operæ pigebit, si eundem auctorem videbis. *Probl. sep. dec. quintæ Probl. Sympos. & Marsil. Ficinum cap. IV. Com. in Conu. Platonis.*

* QVAMVIS TE ALBATA ROGABIT.

Cornutus albatam accipit pro pura, & vitijs carente, malè, nã respicit poeta ad morem communem mulierũ sacrificantium, *Val. Max. de clade Canensi* verba faciens. *Itaque* (ait) *matres, ac filiæ, coniugesq; ac sorores nuper interfectorum abstersis lacrimis, depositisque doloris insignibus candidam vniuersæ vestem induere, ac aris dare thura coactæ sunt. & Strozza filius. Amorum lib. II. De Natali Domina.*

Nec

Nec quisquam incedat pulla sub veste, sed albis
Ad sacra contendant fœmina, virque togis

Qui hic intelligunt, stolam, aut etiam togam albam, quæ esset meretricum, aut tenuioris fortunę mulierum, quales esse solent nutrices, nugantur: non enim aduerterunt vim particulæ Quamuis.

POSCIS OPEM NERVIS.

Sequuntur vota pugnantia, quorum duplex tãgit genus. alterum eorum, qui cùm validum corpus, integramque valetudinem, ad senectutem vsque Iouem poscant, illam ipsi interim viuendi intemperantia corrumpunt. Alterum eorũ, qui gregem augere cupientes vltro illum imminuunt, Mercurio diuitiarum præsidi Succidaneis hostijs, idest alijs post alias succedentibus sacrificantes.

SED GRANDES PATINAE TVCETAQ. CRASSA.

Scribit *Laertius* Diogenem stomachari solitum illis; qui pro bona valetudine sacrificarent, & inter sacrificia contra sanitatem cænarent. itaque vere *Lactantius*. *Et cum viuere maxime optant, ad mortem concitatissime properant.*

SI TIBI CRATERAS.

Socrates apud Plat. in Gorg. nihil tam arbitratur hominibus perniciosum, quàm opinionem falsam; quę, vt idem ait, in Sophista est eorum, quæ sunt opinanti contraria; hanc necessario consequitur assensus, assensuique annectitur persuasio. Itaq; falsa opinione ductus auarus sibi persuadebat Deos ijsdem affectibus cõmoueri, quibus homines; cumq; ipse oblato lucro alicuius Craterę aureę, ita gaudio gestiret,

vt præ letitia lachrymulas non teneret; de Dijs idem existimans eorum effigies inaurabat credens ita sibi fore obnoxios. Ex qua vulgari, & peruersa hominum opinione factum fuisse ait poeta, vt fictilia, ęreaque vasa, quibus prisca, & frugalis ætas vtebatur, à sacris prorsus exulauerit, in quorum locum successerint aurea.

HINC ILLVD SVBIIT.

Quia tibi gratum est aurum, eoque maxime delectaris, hinc tibi in mentem venit idem de Dijs iudicare.

A V R O O V A T O.

Ouatum dixit, aut quia statuæ ouo lenirentur, vt magis hęreret aurum, aut quia mediũ oui est auro simile, ait vetus interpres. Ego existimo poetam intelligere aurum ex Manubijs collectum, vide *Gel. Cap. XXIII. lib. XIII. & Turneb. lib. XXV. cap. XIV.* & denique *Ioan. Tornarup.*

NAM FRATRES INTER AHENOS.

Exemplo confirmat vulgo existimari Deos capi muneribus, quia vt grati habeantur homines, à quo Deo maius beneficium accepisse sibi persuadent, preciosius illi munus offerunt. Pro fratribus ahenis placet quibusdam intelligendos Deos omnes, qui communem matrem magnam habeant Berecynthiam. Alij non omnes intelligunt, sed eos tantum, quorum essent in eodem templo statuæ; Alij Penates volũt accipi, qui in eadem familia colerentur, & proinde fratres; Alij Castorem, & Pollucem. plerique, & doctiores Acronē secuti referente *Cornuto*; quinquaginta statuas Danaidum, in porticu Apollinis Palatini, & totidem equestres sub diõ, filiorum Aegisthei, ex quibus statuis, quædam existimaban-

tur postulantibus vera somnia immitti, atque harũ ait poeta noster præcipuum esse cultum, barbamque inaurari ab ijs, qui nihil præter terrena sapiunt, nec intelligunt terrenis opibus Deum non indigere, vt ait *Lactant.* in quos merito exclamat Persius

O curuæ in terris animæ, & cælestium inanes.

PITVITA.

Quæ sæpe ingenium obtendit, & suffocat. itaque merito inter quinque studiosorũ hostes recensentur à *Mars. ficino, de studios. sanitate tuenda cap. VII.* eiusque remedia docet *cap. IX.*

ET TVSCVM FICTILE MVTAT.

Puto hoc intelligendum de ipsis Deorum simulacris fictilibus persuadet *Seneca Consol. ad Heluiam. Itaque* (ait) *tunc per fictiles Deos religiose iurabatur.*

ET BONA DIIS EX HAC SCELERATA DVCERE PVLPA?

Quid iuuat ex hoc scelerato corporis sensu multis sceleribus inquinato de bonis Deorum iudicare?

HAEC SIBI CORRVPTO &c.

Hæc scilicet pulpa. cuius enumerat quatuor inania studia, vt apparet ex eius iudicio nihil de Dijs statuendum; vnguenta, quæ intelligit pro casia oleo dissoluta; Purpuram, pro vellere Calabro vitiato murice idest tincto: Gemmas, pro Baccis conchæ ab rasis. Aurum; Pro strictura venæ de crudo puluere.

PECCAT, ET HAEC PECCAT.

Sic potest exponi, & hæc scilicet pulpa peccat duplicatio

peccat. aut peccat, peccat, ideſt peccando perſeuerat. Sed melius ſic, &, ſcilicet pulpa peccat, hæc quæ ſuperius dicta ſunt. vt τὸ HAEC ſit accuſatiui caſus cum interpunctoine. ſtatimque poëta reſpondeat peccat non inficior leuius tamen, quàm improbi illi, qui inter Deos, & homines nundinationem inſtitutam exiſtimant, & muneribus illos capi. pulpa enim illa vitio ſuo vtitur. nam vnguenta, Gemmæ, & huiuſmodi reliqua, aliquē ſaltem vſum hominibus præbent.

IN SANCTO QVID FACIT AVRVM?

In hanc ſententiam optime *Lactantius cap. 1. lib. VI.* Quidquid aſpectu carum, quidquid opere, aut odore preciosum eſt, id gratum Dijs ſuis, non ex aliqua diuinitatis ratione, quam neſciunt; Sed ex ſuis cupiditatibus iudicant; nec intelligunt, terrenis opibus Deum non indigere.

NEMPE HOC QVOD VERI DONATAE
A VIRGINE PVPAE.

Puellæ nupturæ pupas ſuas, ideſt imagunculas, quibus ætatulam oblectarant veneri conſecrabant. ſicut pueri Penatibus Bullas. notius eſt, quàm vt egeat exemplis.

QVIN DAMVS HOC SVPERIS.

Aurea verè, & pio homine digna ſententia claudit Satyram, Deum non munus oblatum, ſed offerentis mentem reſpicere, quam deſumpſit à *Platone de Voto.* & à multis alijs tum prophanis, tum ſacris ſcriptoribus repetita.

DE MAGNA QVOD DARE LANCE.

Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago.

Quod Meſſala non poſſit dare quamuis ſit diues. hoc enim ſignificat pro magna lance, nō quia ſit nobilis, eſt enim Lip-

pus

pus ideſt vitijs coopertus, quod eſt corporis vitium transfert ad animum, quia, quod eſt apud *Senecam. Optimus animus pulcherrimus Dei cultus.*

COMPOSITVM IVS FASQ. ANIMO &c.

Hæc inquit Deo offeramus, Ius, quod referatur ad officia inter homines, Fas ad pietatem erga Deum; Sanctos receſſus mentis ideſt puras animi cogitationes, quæ dicuntur animi receſſus, & quod ait *Horatius*

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

denique pectus incoctum generoſo honeſto; per quod intelligitur firmum, & inconcuſſum perſeuerãdi in honeſto propoſitum; vere *Michael Tracaniota ad Cominum.*

Fas Comini, rectumq; Deis, pietaſq; ſacranda eſt,
Si neſcis hominum cætera non ſuperum.

& illo prior *Plin. Panegyr.* Animaduerto Deos innocentia, & ſanctitate lætari, gratiorem exiſtimari, qui Delubris eorũ puram, caſtamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.

ET FARRE LITABO.

Horat. *Immunis aram ſi tetigit manus*
Non ſumptuoſa blandior hoſtia
Mollibit auerſos Penates
Farre pio, & ſaliente mica

Et *Plinius in præfatione ad Veſpeſianum. Multæq; gentes ſupplicant, & mola tantum ſalſa litant*, eſt autem litare teſte *Nonio* propitiare, & votum impetrare.

F I N I S.

INDEX RERVM NOTABILIVM qui in hoc volumine continentur.

Aua-

G

H

I

Po-

FINIS.

Errata | Corrigenda.

pag. 3	lin. 13	A.	Ad
11	20	Trieretica	Trieterica
19	5	nema	ne madefecisse
21	12	diuisis	diuis
21	21	collegerit.	collegerit
22	27	labentibus	lubentibus
23	13	alter esset	aliter non esset
24	16	eximus	Cycnus
25	3	ad	ab
28	8	tantum	tantam
29	2	modo	morbo
35	8	hominis	ominis
38	22	superueniffe. (quod	superueniffe.cui (quod
40	3	virum	viro
48	25	molestimã	molestissimam
51	1	nemque	remoque
51	17	delinis	delirus
64	3	quum	quam
67	22	Nos tu	Hos tu
71	13	adbibenda	adhibenda
74	5	iudices	indices
74	12	falsas	falsos
76	8	Publicum	Publium
77	5	feruiumq.	feniumq;
79	22	causam	iam
81	10	fius	Ficus
95	18	compofitus	compostus
96	2	Et humus	Et fit humus
96	13	Sic	Sit
96	17	Venus	Iuno
96	19	aimenitum	armentum
97	8	Tibullum	Catullum
98	6	puluere	perlue
104	11	vendentes	vendentem
110	8	amicu	amici
114	3	similes	simile
115	7	fterucosus	verucosus
115	10	& hic	& sic
119	18	ob	ab
130	28	Adcilatori	Adulatori
131	26	ad	at
142	9	Iftruum	Isthmum
145	17	liquidem	liquida
154	1	in sequentia	frequentia
159	6	obijeris	abiueris
166	15	pauidus feces	pauidus nauita feces
170	20	Attin	Attys
171	8	Attin	Attys
180	14	Attin	Attys
181	25	cruce	crure
184	14	Baiana quadrant	Baiana mihi quad:ftes
193	3	locuetis	licuetit
207	21	verbis	vrbis
212	22	negligẽtiã	neglectam
213	27	munere	munera
216	9	labente	labentes
216	28	autem	aurem
217	7	icatco	iccirco
218	5	eacutiat	excutiat
219	28	fignificabant	fignificabat
222	25	possit	posse.
223	25	rem	dele illud rem
224	15	concipiscunt	concupiscunt



PARMÆ,

Typis Antæi Viothi. 1621.

Permißu Superiorum.